DE
EPICURI CANONICA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

P.-FÉLIX THOMAS

PROFESSOR AGGREGATUS PHILOSOPHIÆ

« Male audit, infamis est, et immerito. »
(SENECA.)

PARISIS

APUD FELIX ALCAN, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

—

1889

DOCTISSIMO VIRO

CH. WADDINGTON

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI PHILOSOPHIÆ PROFESSORI
HOC GRATISSIMI ANIMI PIGNUS
DICABAT OPUSCULUM

P.-Félix Thomas.

DE
EPICURI CANONICA

CAPUT PRIMUM

DE EPICURI CANONICA UNIVERSE [1]

Nonnulli inter præclarissimos jamdudum de Epicuri doctrina disseruerunt, nec tamen quisquam, temporibus nostris, philosophus exstat qui Epicureæ Canonicæ peculiariter studuerit, opusque jam tentatum a Gassendo consequi ac renovare conatus sit.

Namque ad Ethicam præsertim, ab antiquitate ad hunc usque diem meritis laudibus celebratam, diligenter animos intenderunt historici, ita ut omnes seu « flagitiorum magistram [2] », cum Cicerone, seu contra « immerito infamem, nec non recta sanctaque præcipientem [3] », cum Seneca habue-

1. Cf. Joh. Mich Kern, *de Prolepsi,* 1756; Roorda, *Epicureorum et stoicorum de anticipationibus doctrina,* 1828; Philodem über Induktionsschlüsse (περὶ σημείων καὶ σημειώσεων) von Th. Gomperz, 1865; Neue Bruchstücke Epikur's, von Gomperz, 1876; Théod. Tohte, *Epikurs Kriterien der Wahrheit,* 1874; Lange, *Histoire du matérialisme;* H. Useneur, *Epicurea;* Em. Chauvet, *des Théories de l'entendement dans l'antiquité;* Ritter, *Histoire de la philosophie ancienne;* Zeller, *die Phil. der Griechen*, et in primis insignes Gassendi de duod. Diog. Laert. libro commentarios longe omnibus aliis studiis quum veritate judicii, tum ubertate scientiæ præstantes.
2. Cicero, *de Finib.*, I, *passim.*
3. Seneca, *de Vita beata*, XIII.

runt, hanc demum philosophiæ partem explanare ac disceptare dignati sint. Minime igitur mirandum est quod per multos annos in controversiam deducta, Epicuri Ethica, cujus præcepta contrariis disputationibus enucleate illustrata fuerunt, apud nos tandem quo digna est locum obtinuit [1].

Longe alia fortuna usa est Canonica quæ multos adversarios, historicos vero paucos numerat; plerique enim eam inexploratam et male cognitam prædamnant. Et hoc judicium eo difficilius est recognoscere, quo judices sæpius rationes quibus impelluntur, tacent. Qua severitate, vel potius qua injuria Epicurus et Epicurei, nullo non crimine pressi, apud Ciceronem tractentur, novimus!

A Cicerone enim, specie hominis bene sibi fidentis et ejusdem ignari, Epicurus induitur. « Nihil, ait, olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis [2]. » Gloriatur se magistrum habuisse nullum, « quod et non prædicanti tamen facile crederem, ait Cicero, sicut mali ædificii domino glorianti, se architectum non habuisse [3] ». Itaque sudavit multum frustraque laboravit « nam qui voluit subvenire erroribus iis qui videntur conturbare veri cognitionem, dixitque sapientis esse opinionem a perspicuitate sejungere, nihil profecit : ipsius opinionis errorem nullo modo sustulit [4] ».

Nec aliter fieri poterat, nam contra atque Aristoteles et Stoici « dialecticam iste contemnit quæ una continet omnem et perspiciendi quid in quaque re sit, scientiam, et judicandi quale quidque sit et ratione ac via disputandi [5] ». A D. Laer-

1. Cf. Guyau, *la Morale d'Épicure.*
2. Cicer., *de Nat. Deor.*, I, 26.
3. *Ibid.*
4. Cicer., *Acad.*, II, 14.
5. Cicer., *de Finib.*, II, 6, 19; I, 7; *Tuscul.*, II, 19.

tio, fere iisdem verbis, refertur Epicureos « dialecticam ut supervacaneam repudiare » [1], et a Plutarcho, Epicurum ipsum ne scire quidem syllogismum e tribus constare propositionibus [2]. Non mirum est igitur quod ille, ut Ciceronis verba usurpem, « tollit definitiones, nihil de dividendo ac partiendo docet, non quo modo efficiatur concludaturque ratio tradit, non qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur ostendit [3] ».

Adde huc quod « contemnit disserendi elegantiam et confuse loquitur [4] », et Epicuri Canonicam in universum ab adversariis antiquis judicatam habebis.

Eisdem judiciis acerbis sæpius utuntur nonnulli, nostris temporibus, philosophi qui, cum de Epicuri Canonica locus est disserendi, veritati se satisfacere arbitrantur, dummodo pauca mordacibus et ambiguis verbis memorent et viam quam majores infestis in Epicurum animis ingressi sunt, quasi jamdudum dijudicata lite, sequantur [5].

I. — Quæ quidem judicia adeo sunt inimica ut nobis æquum videatur ambigere num sint sincera, num quidquam

1. D. Laert., X, 31.
2. A. Gellius, *Noct. Att.*, II, VII; Plutar., *adv. Colot.*, I.
3. Cicer., *de Finib.*, I, 7.
4. Id., *de Finib.*, I, 32; *Tuscul.*, II, III, 7; Sext. Emp., *adv. Math.*, I; *de Laert. Aristoph. comment.*, X, 13.
5. In historia philosophiæ antiquæ, *Renouvier* hæc de Epicuri logica scribit : « Épicure ignorait la logique; il raisonnait assez mal pour prétendre que l'axiome : Toute proposition doit être nécessairement vraie ou fausse, se peut éluder, et il renversait ainsi toute notion du nécessaire et l'esprit même de la science » (t. II, p. 261). « Épicure, dit Barthélemy St-Hilaire, Épicure, loin de tenir à compléter la Logique, essaya bien plutôt de la détruire... En lui ôtant son nom et en l'appelant Canonique, il n'en fit qu'une partie assez peu nécessaire de la physique. » (*Dict. phil.*, art. Logique.) Franck contra dicit : « On affecte pour la Canonique d'Épicure un mépris très injuste, quand même il ne serait pas une inconséquence. » (*Esquisse d'une histoire de la Logique*, p. 205.) — Idem est fere Gassendi historicorumque quorum nomina supra retulimus, judicium.

valeant. Neque enim tanta amaritudine lacessere mos est eos quorum opera ne expendere quidem digneris, omnes vero merita oblivione mergi sinis. Epicureæ tamen doctrinæ alia quædam obstitisse confitendum est, cum et tempus ejus operi non pepercerit et ipse contenderit inutilia esse quæ ad hominum felicitatem recta via non tenderent.

Paucos enim scimus in scribendo uberiores fuisse Epicuro, quem, quanquam plerique dicunt ineruditum ac plane rudem, tamen D. Laertius tradit amplius trecenta volumina composuisse quibus non alienam, undique ex aliorum libris excerptam, sapientiam compilaret, sed propriam doctrinam exponeret [1]. Ceterum, inter omnia illa opera, quæ præstantissima sibi videantur esse commemorat, neque mediocriter hac enumeratione attentos detinet qui judicia, non dico de Epicuro, sed in Epicurum prolata, supra perlegerunt. Ex hoc autem sapientiæ thesauro, vix pauca et trunca ad nos pervenerunt, quæ pleraque ad moralem respiciunt.

Deinde Epicurus studiosius frequentiusque contendit nos debere ad ea, quæ beatæ vitæ disciplinam doceant, omni ope niti, et ideo omnem curam et operam ad moralem conferre [2]. Quamobrem una et amici et inimici de ejus Logica pessime judicaverunt; quorum alteri ad id inviti adducti sunt ut solam tantummodo Moralem in tota Epicuri doctrina plurimi æstimarent, et toti rationis summæ hanc unam partem anteponerent, cæteraque philosophi præcepta, vul-

1. Γέγονε δὲ πολυγραφώτατος ὁ Ἐπίκουρος, πάντας ὑπερβαλλόμενος πλήθει βιβλίων· κύλινδροι μὲν γὰρ πρὸς τοὺς τριακοσίους εἰσί. Γέγραπται δὲ μαρτύριον ἔξωθεν ἐν αὐτοῖς οὐδὲν, ἀλλ' αὗται εἰσὶν Ἐπικούρου φωναί. (D. Laert., X, 26.)

2. Cf. D. Laert., X, 31; Cicer., *de Finib.*, I, 21 : « Quid quod tibi parum videtur eruditus, ea causa est, quod nullam eruditionem esse duxit, nisi quæ beatæ vitæ disciplinam juvaret. Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii indocti, qui, quæ pueros non didicisse turpe est, ea putant usque ad senectutem esse discenda. »

garia et minimi momenti habentes, omnino negligerent; alteri vero, dum eum a dialecticis remotissimum esse præjudicant, veram sibi rationem tenere videbantur cur multa, vel de morali, indiscreta falsaque docuisset.

Porro, cum Epicurus ipse superbo contemptu dialecticam artem, quæ tamen apud æquales summo nitore florebat, persequatur et in dialecticos, præsertim in stoicos qui tunc cæteris præstabant, acriter invehatur, non mirum est illum ab inimicis, dialecticorum scientiæ omnino rudem existimatum fuisse. Nunc quoque si quis mathematica studia acerbius deprimit, indoctus a mathematicis; si poesim et poetas, a poetis imperitus et rudis existimatur.

Nobis autem investigandum est nonne pleraque crimina, quibus philosophi Epicuri rationem insectari solent, Epicureos potius lædant quam ipsum Epicurum : quod quidem multas ob causas nobis verisimile esse videtur. Plerique enim Epicuri adversariorum, ciceroniana tantum judicia repetunt; Ciceronemque prope certum est, doctrinam qualem sibi fingit et condemnat, ab ipsa origine non repetiisse, sed ex alienis et parum liquidis fontibus hausisse, quod primum ab ipsius Tullii verbis confirmatum videtur. « Quamobrem, rogat illum Torquatus, non satisfecit (Epicurus)? Te enim judicem æquum puto, modo quæ dicat ille bene nôris. — Nisi me, inquam, Phædrum mentitum aut Zenonem putas (quorum utrumque audivi, quum mihi nihil sane præter sedulitatem probarent) omnes mihi Epicuri sententiæ satis notæ sunt [1]. » Non igitur ab Epicuri libris, sed ab Phædro, Zenone, aliisque discipulis, Epicurum Tullius multique alii discunt. Nec aliter fieri poterat. « Epicurei

1. Cicer., *de Finib.*, I, 5, 14.

nostri, ait Cicero, græce fere nesciunt nec Gæci latine; ergo hi in illorum, et illi in horum sermone surdi [1]. » Itaque Epicuri et Metrodori opera in manibus discipulorum quorumdam tantum et rarorum, versabantur [2]; Amasinii autem Epicurei libri Italiam totam occupabant [3]. Quare non mirandum est quod Epicureorum doctrinam et in primis canonicam tanta acerbitate multi insectati sunt; huic etiam severitati plane assentiri licet, dummodo ne Epicurus unus præter cæteros tot objurgationum mole obruatur. Frequenter enim in philosophiæ historia constat discipulorum peccata magistro noxiæ fuisse.

Præterea, quas retulimus vituperationes, minime cum quibusdam aliis Tullii judiciis consentaneæ videntur. Non semel enim declarat « Carneadem, Epicuri perfamiliarem [4] » fuisse [5]; ex hoc autem, Carneadis, inter dialecticos acutissimi, in Epicuream doctrinam studio, *a priori* inferre possumus artem logicam non fuisse Epicuro ignotam; solam autem stoicorum dialecticam, quam inutilem haberet et vanam, ab hoc dammatam fuisse. Quod quidem et Tullii et S. Empirici testimoniis roboratur. « In dialectica vestra, ait Torquatus, nullam vim existimavit esse, nec ad melius vivendum, nec ad commodius disserendum [6]. » « ἄλλοι δὲ ἦσαν, adjicit Sext. Empiricus, οἵ φασι μὴ κοινῶς αὐτὸν τὴν λογικὴν παρῃτῆσθαι, μονὴν δὲ τὴν τῶν Στοϊκῶν [7]. » Huic uni

1. Cicer., *Tuscul.*, V, 5, 40.
2. « Platonem reliquosque socraticos legunt omnes; Epicurum autem et Metrodorum non fere præter suos quisquam in manus sumit. » (Cicer., *Tuscul.*, II, 3.)
3. Cicer., *Tusc.* IV, 4. — Cf. *Acad* , I, 12, 16; *Tusc.*, III, 17, 38, etc.
4. Cicer., *de Finib.*, V, 31.
5. Id., *de Fato*, XI.
6. Id., *de Finib.*, I, 21. — Cf. St. Hieronymum, *adversus Rufinum,* lib. I, p. 385. « Quoniam stoici dialecticam sibi vindicant, et tu hujus scientiæ deliramenta contemnis, in hac parte Epicureus es. »
7. Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 15.

opinioni assentiendum est : certum enim locum dat Logicæ Epicuri ratio, nedum eam rejiciat et respuat; ei vero maximam in studiis partem denegat, ne, quasi propriam, alienam virtutem sibi vindicet et præcipiat. Ut multa cognoscamus, non semper opus est, ait Epicurus, subtili logica, sed simplici animadversione [1]. — In summa igitur idem Epicuro ac Carneadi propositum esse videtur, cum utrique dialecticam omnibus captiunculis quibus stoici eam implicuerant, expedire in animo fuerit. Ob id autem in logicam nonnunquam vehementer invehitur quod nihil existimat amplius adultera logica obstare quin homines quo tendunt perveniant, id est ad vitam beatam. Hæc diligenter respicere oportet ut recte et certo judicio convitia quibus eum ab adversariis cumulatum esse traditur, perpendamus.

II. — Superest ut disquiramus quem locum Logica in ratione Epicuri obtinuerit, quasque partes complexa sit.

Existimat Epicurus Logicam arctissime conjungi cum Physica, qua scientia « et verborum vis et natura orationis et consequentium repugnantiumve ratio potest perspici [2] », et ejusdem quasi procemium et præfationem, quam ipse ἔφοδον nuncupat, esse. Quare Diogenes Laertius nos docet vix inter se Physicam et Logicam ab Epicuro discerni [3]. Nonnulli etiam inter Epicureos solas philosophiæ partes putaverunt esse, naturalem atque moralem [4]. Etsi vero

1. Cicer., *de Finib.*, I, 9.
2. Cicer., *de Finib.*, I, 63.
3. « Εἴωθασι τό κανονικὸν ὁμοῦ τῷ φυσικῷ συντάττειν » (D. Laert., X, 30.)
4. « Μεθ' οὗ (Αρχελάου) τινες καὶ τὸν 'Επίκουρον τάττουσιν, ὡς καὶ τὴν λογικὴν θεωρίαν ἐκβάλλοντα· ἄλλοι δὲ ἦσαν, οἵ φασι μὴ κοινῶς αὐτόν τὴν λογικὴν παρῃτῆσθαι, μόνην δὲ τὴν τῶν στοϊκῶν· ὥστε δυνάμει, τριμερῆ πάλιν ἀπολείπειν τὴν φιλοσοφίαν. » (Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 14.) — Cf. Senec. : « Epicurei duas partes philosophiæ putaverunt esse, naturalem atque moralem ; rationalem removerunt. Deinde cum ipsis rebus cogerentur

rationalem partem, seu logicam, removere videntur, hanc tamen alio nomine dissimulatam et *Canonicam* appellatam induxerunt. Ipse autem Epicurus attentissime curavit ne argutiis et inanibus captiunculis, quas irrisit, uteretur : etenim, pro istis, regulas simplices et expeditas subjicere conatur quæ mentem regant et firment, non immodico tumore inflent. Quare hanc philosophiæ partem non *Logicam* aut *Dialecticam* dicit, sed *Canonicam*, ne cui ambiguum sit quid ipse sibi reapse proposuerit [1].

Diligenter nos docet D. Laertius quas in partes Epicurus rationem suam distribuerit, porro quo gradu logicam canonicamve habuerit : « διαιρεῖται εἰς τρία, τό τε κανονικὸν, καὶ φυσικὸν, καὶ ἠθικὸν, τὸ μὲν οὖν κανονικὸν ἐφόδους ἐπὶ τὴν πραγματείαν ἔχει, τὸ δὲ φυσικὸν τὴν περὶ φύσεως θεωρίαν πᾶσαν, τὸ δὲ ἠθικὸν τὰ περὶ αἱρέσεως καὶ φυγῆς [2]. » Etenim in Epistola ad Herodotum, Epicurum animadvertimus, antequam physicæ principia breviter exponat, generatim quasi describere Canonicæ œconomiam et paucis verbis contrahere [3].

A Sext. Empirico discimus ita in hac philosophiæ parte processisse Epicurum : « οἱ δὲ Ἐπικούρειοι, ait, ἀπὸ τῶν λογικῶν εἰσβάλλουσι· τὰ γὰρ κανονικὰ πρῶτον ἐπιθεωροῦσι, περί τε ἐναργῶν καὶ ἀδήλων καὶ τῶν τούτοις ἀκολούθων ποιοῦνται τὴν ὑφήγησιν [4] ».

ambigua secernere, falsa sub specie veri latentia coarguere, ipsi quoque locum, quem De Judicio et Regula appellant, alio nomine rationalem induxerunt, sed eum accessionem esse naturalis partis existimant. » (*Epist.*, 89, 9).

1. Eo curatius logicam minuere videtur Epicurus, quo gloriosius de ipsorum logica, imo etiam de Logica universe, stoici prædicare solebant. « Μέγα, ait S. Empiricus, φρονοῦσι, ἐπὶ τῇ τῶν λογικῶν ἐξεργασίᾳ. »

2. D. Laert., X, 30.

3. Quum Tullius primo Epicureorum physicam et secundo Canonicam refutat, ordinem igitur quem sequebatur Epicurus, invertit. (Cic., *de Finib.*, I.)

4. Sext. Emp., *adv. Math.*, VII, 22.

Per historicos ad nos pervenerunt tituli qui inscribebantur nonnullis de Logica ab Epicuro compositis libris; ex quibus cum plures sint περὶ ἀληθείας, καὶ κανόνων, καὶ κριτηρίων inscripti [1], facile est discernere quo singuli spectaverint. Neque minorem famam assecuti sunt quam qui moralem tractabant; Velleius enim atque Torquatus eos habent tanquam divinos quorum canones ad victoriam certe dialecticos in controversiis ducere possint [2]. Ex his libellis qui Romæ, Tullii tempore, longe lateque pervulgati erant, nulli contigit ut ad nos perveniret. Ex Epicuri enim operibus, Epistolæ tantummodo et sententiæ a D. Laertio feliciter excerptæ nobis traditæ sunt.

Attamen, cum veteres scriptores de Epicuri doctrina non semel locuti sint; cumque sententiæ quas illi tribuunt sæpissime inter se congruant — quod quidem nos vetat eas in dubium vocare, — potest fieri ut præcipuas Canonicæ partes et leges restituamus.

1. D. Laert., X, 28, et 29.
2. Cf. Cicer., *de Finib.*, et *de Natur. Deor.*, *passim*... Deridetur a Plutarcho Colotes quia legerat divinos Epicuri canones : Επικούρου κανόνας διοπετεῖς.

CAPUT SECUNDUM

DE VERITATE ILLIUSQUE CRITERIIS

Quum philosophia, seu sapientiæ studium, id proprium, præ cæteris artibus, habeat, ut vitam beatam paret, tum rerum inscitiam e qua superstitio, stulta desideria, horribilesque existunt formidines, dispellendo; tum immotas naturæ leges detegendo, præstat, ante omnia, requirere nonne nobis veritatem assequi liceat, quibusque signis eam agnoscere possimus. Si enim ignorantia et incertitudo qua mentes afficiuntur, nullo modo per quædam signa ac judicia superari possunt, omnia indiscretæ temeritatis confusionisque plena evadunt, et dum redeunt metus, vita beata fugit. Quæ sit igitur veritas, qualique instrumento judicandi, sive criterio, agnoscatur, quærendum est imprimis.

I. — E judiciis quæ plura apud D. Laertium et Sext. Empiricum invenimus, præmittendum est duplicem ab Epicuro agnosci veritatem, alteram vulgo Existentiæ dictam, alteram judicii et Enunciationis. De prima loqui videtur Epicurus cum ait nihil differre utrum dicamus aliquid verum, an exis-

tens : οὐ διήνεγκε ἀληθὲς εἶναι τι, ἢ ὑπάρχον [1]. Verum est igitur, secundum hoc Epicuri, id quod in rerum natura exstans, est id ipsum quod est, nihil autem aliud [2]. Huic veritati nulla opponitur falsitas, « neque enim orichalcum, verbi gratia, falsum aurum est, sed verum orichalcum ».

Judicii autem aut Enunciationis veritas nihil aliud est quam conformitas judicii cum re judicata, huic itaque veritati error falsitasve opponitur : « Ἔστιν ἀληθὲς, τὸ οὕτως ἔχον ὡς λέγεται ἔχειν · καὶ ψεῦδός εστι, τὸ οὐκ οὕτως ἔχον, ὡς λέγεται ἔχειν [3]. » Est verum quod ita se habet, ut se habere dicitur et falsum quod non ita se habet, ut dicitur se habere.

Ut planius in propriam Epicuri sententiam introspicere liceat, interest ut quod de veritatis ipsius natura apud Epicureos Stoicosque fuerit dissidium, memoria non dilabatur. Stoici tria inter se conjuncta esse dicebant; rem, subjectumve extra subsistens; id quod significatur, id est, notionem ipsam quam cogitationi nostræ oblatam apprehendimus ; id denique quod significat, scilicet vocem; duo autem ex eis esse corporea, nempe rem et vocem, unum vero incorporeum, nempe λεκτόν, id est dictum vocisve significationem. Veritatem porro et falsitatem pertinere putabant non ad rem, non ad vocem, sed ad λεκτόν dumtaxat, non ad omne quidem, sed ad illud solum quod cum perfectum esset, axioma vocabant. Non datur λεκτόν, verbi gratia, dum dico : scribit ; at significatio perfecta erit : Socrates scribit, quæ significatio nunc vera nunc falsa dici potest [4].

1. Sext. Emp., *advers. Log.*, VIII, 9. — Cf. D. Laert., X, *passim* : Οὐ διήνεγκε ἀληθὲς εἶναί τι, ἢ ὑφεστώς; — ὑπέρχε τοῖς οὖσι, καὶ ἀληθέσι προαγορευομένοις.
2. Cf. Gassend., quem sæpius hic secuti sumus, *Syntag. phil.*, p. 4; V, p. 63.
3. Sext. Emp., *adv. Log.*, VIII, 9.
4. *Id.*, VIII, 11; *Pyrrhon. Hyp.*, II, II, 107 : Stoicorum hæc et Epicureorum

Non eamdem de veritate sententiam habet Epicurus; λεκτόν enim repudiavit, « negavitque ita dari incorpoream rei significatæ ideam, a sensu menti per vocem declarato et a re ipsa significata diversam, in qua verum et falsum subsistere stoici contendebant [1]. » Itaque duo tantum admittit : rem et vocem, quarum altera dici vera potest, altera vero falsa aut vera. Ne tamen credideris ab Epicuro omnino vocem ab idea sejungi, veritatemque tantum in sono vocisque flatu reponi; quum enim ait : « ἔστιν ἀληθὲς, τὸ οὕτως ἔχον ὡς λέγεται ἔχειν, » hoc utitur verbo λέγεται, quia sermonem internum designare potest quo ideas nunc distinguendo, nunc copulando, judicium de aliqua re proferimus. Vox igitur vel dictio, id est prolatus exterius sermo, nihil aliud est quam interpretatio judicii sermonisque interni. Id tamen proprium existimat Epicurus, ideas et præsertim generales notitias menti immanentes adeo cum voce conjungi, ut quodam modo unum et idem fiant; ex idea enim vox oritur sane, voce autem vel dictione quasi firmatur et, ut ita dicam, corporatur idea; quamobrem, ut refert Sext. Empiricus, Epicurei in voce tam verum quam falsum relinquere videntur demonstrationemque dicunt ex voce constare [2]. Adde hanc interpretationem cum Epicurea de sermonis natura et origine doctrina, ut infra videbimus, congruere.

II. — Cum ea sit veritas et præterea tum ad meram rerum speculationem, tum ad vitæ actionem spectet, tria ab Epicuro discernuntur criteria quorum duo ad speculationem,

controversia non valde absimilis fuisse videtur illi quæ intercessit inter sectas scholasticorum et realium et nominalium.

1. S. Emp., *Pyrr. Hyp.*, II, 107, 108.

2. Sext. Emp., *adv. Log.*, II, VIII, 13. « Φαίνονται περὶ τῇ φωνῇ τὸ ἀληθὲς καὶ ψεῦδος ἀπολείπειν »; *Ibid.*, VIII, 336 : « Ἐκ φωνῆς συνέστηκεν ἡ ἀπόδειξις. » — Cf. sect. 12 et 13 hujus libri.

unum autem ad moralem attinent. Ἐν τοίνυν τῷ Κανόνι λέγει ὁ Ἐπίκουρος κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις καὶ προλήψεις καὶ τὰ πάθη [1]. Ad res naturales judicandas quæ aut per se apparentes fiunt, aut ratiocinatione tantum cognoscuntur, nunc sensu, nunc anticipatione utimur; ad res autem morales, affectu seu appetitu, aut potius voluptate et dolore. His tamen criteriis quartum, ait D. Laertius ab Epicureis adjicitur criterium, scilicet phantasticus mentis intuitus : οἱ δὲ Ἐπικούρειοι καὶ τὰς φανταστικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας.

Videamus igitur quid de singulis Epicurus censeat criteriis, quosque canones proinde doceat, ut planius propriam ipsius de dialectica et ratiocinatione doctrinam agnoscere possimus.

1. D. Laert., X, 31.

CAPUT TERTIUM

DE SENSU, PRIMO VERITATIS CRITERIO

Etsi Epicurus tria veritatis criteria discernat, hoc, ante omnia, tanquam firmum philosophiæ principium ponit, omnes ideas ortum ducere a sensibus, criteriumque primum ad quod provocare a cæteris liceat. Quamobrem non mirum est quod summo studio, omnes, magistri exemplo, Epicurei et in primis Lucretius, quid reipsa sit sensus, unde et quomodo oriatur, qua ratione crescat, prostremo quid valeat, illustrare conantur.

I. — Ut aperte quid de sensu Epicurus censeat percipiamus, necesse est ipsius de anima doctrinam summatim recordemur. Atqui, animam existimat non principium esse simplex, natura a corpore et rebus externis alienum, at corporeum principium, e duobus diversis partibus compositum quarum altera sentire et intelligere proprium et peculiare habeat, altera autem inter priorem et res externas media esse videatur, easque conjungere. « Qui dicunt, ait, incorpoream esse animam desipiunt [1]. » Quoniam si hujus modi esset, neque agere quidquam, neque pati posset; nam neque, ut ageret,

1. Οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν ματαιάζουσιν. (Diog. Laert., X, 67.)

posset quidpiam contingere, neque ut pateretur, a quopiam contingi.

Tangere enim et tangi, nisi corpus nulla potest res [1]. Anima igitur tenuissimum aliquod ex particulis atomisve tenuissimis rotundissimisque, multum ab aliis differentibus quæ igneæ sunt, contextum corpus habenda est. Duobus autem constat ex partibus : altera rationalis, irrationalisque altera; pars ejus rationalis in thorace sedem habet, ut ex motu et gaudio manifestum est; pars contra quæ ratione caret, in reliquo corpore disseminata est [2].

Cum ea sit anima, et semper quodam modo in corpore inclusa permaneat, nunquam rebus externis, longo sæpe intervallo a nobis remotis, tangi posset, nisi effluvia quædam aut simulacra (εἴδωλα) avolantium continenter atomorum et e rebus advenientia, sensus percellerent [3]. Pro certis enim axiomatibus habet Epicurus : nullum esse effectum sine causa; nullam causam sine motu agere; nil agere in rem distantem, cui non sit præsens vel per se, vel per organum aut conjunctum aut transmissum; nil denique movere aliud nisi contingendo ipsum vel per se, vel per organum corporeum : hic autem organum transmissum, nil aliud est quam εἴδωλον. Nemo nescit quam intenta cura, quamque subtilibus argumentis Lucretius hanc opinionem defendere conatus sit, a qua nunc doctissimus quisque destitit [4].

1. Lucret., I, 305.

2. Nunc animum atque animam dico conjuncta teneri...
Sed caput esse quasi, et dominari in corpore toto
Consilium, quod nos animum mentemque vocamus :
Atque situm media regione in pectoris hæret. (Lucret., III, 137.)

3. Ἡ γένεσις τῶν εἰδώλων ἅμα νοήματι συμβαίνει· καὶ γὰρ ῥεῦσις ἀπὸ τῶν σωμάτων τοῦ ἐπιπολῆς συνεχής, οὐκ ἐπίδηλος τῇ μειώσει, δία τὴν ἀνταναπλήρωσιν, σῴζουσα τὴν ἐπὶ τοῦ στερεμνίου θέσιν καὶ τάξιν τῶν ἀτόμων ἐπὶ πολὺν χρόνον. (D. Laert., X, 48.)

4. Lucret., IV, 158 et sq.

Primum enim animadvertit ab rebus nonnullis tenues mitti particulas, quas homines quilibet, etiam « hebeti corde », facile possunt cognoscere. Nonne vidimus omnes teretes ponere « tunicas æstate cicadas; serpentes lubricam vestem exuere in spinis; robora fumum mittere : ignesque vaporem? » — Has quæ visu capi possunt si omittamus, aliæ sunt quæ oculis non percipiuntur, ac tamen, quodammodo « in prima corporum fronte locatæ » a rebus non aliter emittuntur perque spatium nostros affecturæ sensus advolant. — Tum Lucretius, dum sensus nostros, ac præsertim visum, qui cum tactu non pauca habet communia, singulos lustrat, varie et acute nobis aperit qua via utantur ista effluvia (ἀπόῤῥοιαι), quibus conditionibus corporis nostri partes attingant ac ita percipiantur; quibus denique modis in aere, per quem veniant necesse est, mutentur. — Quin etiam, ultra progrediens (quanti sit hoc quod nunc dicimus infra videbitur), summa ope contendit non istas tantum imagines esse, quæ ab rebus emittuntur rebusque similes formas reddunt, sed alias quoque non deesse, quæ per vacuum infinitum sua sponte gignuntur [1].

Ut *sensio* nunc efficiatur, simulacrorum in nos factam impressionem, ad rationalem animæ partem pervenire oportet quod non fieret, secundum D. Laertium, nisi simulacra, ab extremis corporibus ad sensoria nostra et per horum meatus seu porulos, ad mentem penetrarent, eamque percellerent. In Epistola enim ad Herodotum, ait Epicurus : Τύπων τινῶν ἐπεισιόντων ἡμῖν ἀπὸ τῶν πραγμάτων ὁμοχρόων τε καὶ ὁμοιομόρφων κατὰ τὸ ἐναρμόττον μέγεθος εἰς τὴν ὄψιν ἢ τὴν διάνοιαν ὠκέως ταῖς φοραῖς χρωμένων [2]. »

1. Lucret., IV, 158 et sq.
2. D. Laert., X, 49.

Ex his sane consentaneum videtur inducere sensoria nihil aliud esse nisi ea, ut ita dicam, foramina per quæ simulacra, ut ad animum perveniant, transeant. Ea est Zelleri interpretatio qui sententiam ita vertit : « Indem die Bilder durch die verschiedenen Sinneswerkzeuge in die Seele dringen, entstehen unsere Vorstellungen von den Dingen [1]. » Vertit fere eodem modo Gassendus : « Id fieri dicitur quod effigies... in nostrum tum visum tum animum subeant [2]. »

Quod est profecto consentaneum cum litteris ; at nobis illud cum intima Epicuri doctrina parum quadrare videtur. Primo enim intellegere difficile est simulacra, antequam ad thoracem, animi sedem, perveniant, cum sensoria eorumque porulos, tum animam ipsam irrationalem in toto corpore disseminatam transire, et semper eumdem positum eumdemque ordinem qui fuerit in solidis servare. — Secundo, animadvertendum est Lucretium qui tamen , ut supra diximus, eximia ubertate simulacrorum per aera incursiones descripsit, nihil de eorum transitu a sensorio in animum dixisse. — Tertio denique, Lucretii judiciis adversa omnino ea videtur hypothesis ; quoniam poeta negat sensoria, quorum munera aperte detegit, fores esse tantum per quas allabantur simulacra extrinsecus advenientia :

> Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,
> Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
> Difficile est contra cum sensus ducat eorum :
> Sensus enim trahit, atque acies detrudit ad ipsas [3].

1. Zeller, *op. cit.*, III, I, 359.
2. Gassend., *Syntag. phil.*, t. V, p. 19.
3. Lucret., III, 360.

Itaque unus ex acutissimis Epicuri interpretibus, T. Tohte probabilius esse putat simulacris sensoria tantum protinus percelli et, consequenter, sensoriorum auxilio, animam; animæ autem auxilio, animum cui anima arctissime conjungitur [1].

Cum ad scopum pervenit ultimum impressio, satis est ut efficiatur sensio mentem non esse ceram inertem, sed potius vim impressioni receptæ conatu quodam proprio respondentem. Sæpius enim Lucretius, in poemate, de sensione loquitur tanquam ortum non ab sensorio sed ab animo ducente.

Quarta quoque his igitur natura necesse est...
Sensiferos motus quæ didit prima per artus [2].

Et alias :

Quæ (anima) cum animi vi
Percussa est, exin corpus propellit et icit [3].

Clariora cæterum testimonia, apud eumdem invenimus, e quibus bene illustratur quas partes agat animus; non semel enim exemplis probat Lucretius sine animi, ut ita dicam, labore non solum nos sentire, sed multo magis percipere non posse. Animus enim nisi intentus fuerit, rerum imagines, quia sint tenuissimæ, non omnino vel sane confuse sentimus; intento vero animo, tum vere sentimus nec non et imaginibus novis quodam modo obviam ire possumus; qua re quam late nostra progrediatur scientia, facile apparet.

Et quia tenuia sunt, nisi *quæ contendit*, acute
Cernere non potis est animus [4].

1. Th. Tohte, *op. cit.*
2. Lucret., III, 242 et 245.
3. *Idem*, 160.
4. *Idem*, IV, 806.

Nonne vides, oculos etiam, quum, tenuia quæ sunt,
Cernere cœperunt, contendere se atque parare;
Nec sine eo fieri posse, ut cernamus acute.
Et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
Si non advertas animum, proinde esse, quasi omni
Tempore remotum fuerit longeque remotum [1].

Sensio igitur duplici motu, quin etiam duplici ictu conatuve efficitur [2], quod quidem Epicuri ipsius verbis confirmari videtur [3]. Huic commentario, fateor, de sensionis fonte quem in mente locamus, ea esse videntur Plutarchi contraria verba : « Ἐπίκουρος καὶ τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις· τὸ γὰρ ἡγεμονικὸν ἀπαθές [4]; » Satis autem erit D. Laertii Lucretiique judicia referre, ut nostra confirmetur conclusio : « Καὶ τὸ λογικὸν ἐν τῷ θώρακι, ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν φόβων καὶ τῆς χάρας [5] ». — « Hic (in pectore) exsultat enim pavor ac metus [6]. »

Sensio, qua res externas, sensoriis adjuvantibus, percipimus, ab Epicuro φαντασία adhuc dicitur. Hoc igitur

1. Lucret., IV, 809.

2. « Die von den Organen, ait Tohte qui hujus doctrinæ compendium facit, nach innen gehende Bewegung ist noch keine bewusste αἴσθησις, und ist an und für sich für unser geistiges Leben werthlos; erst im ἡγεμονικόν wird sie eigentlich αἴσθησις, und indem der animus, nun zurückwirkt auf anima und Körper, werden auch diese in mitleidenschaft gezogen und erhalten Theil an der Empfindung. Eine solche Ruckwirkung des animus auf anima und Körper scheint Lucrez an den oben angeführten Stellen zu meinen. » (*Op. cit.*, p. 6.)

3. « Καὶ μὴν καὶ ὅτι ἔχει ἡ ψυχὴ τῆς αἰσθήσεως τὴν πλείστην αἰτίαν, δεῖ κατέχειν· οὐ μὴν εἰλήφει ἂν ταύτην, εἰ μὴ ὑπο τοῦ λοιποῦ ἀθροίσματος ἐστεγάζετό πως· τὸ δὲ λοιπὸν ἄθροισμα παρασκευάσαν ἐκείνῃ τὴν αἰτίαν ταύτην μετείληφε καὶ αὐτὸ τοιούτου συμπτώματος παρ' ἐκείνης, οὐ μέντοι πάντων ὧν ἐκείνη κέκτηται· διὸ ἀπαλλαγείσης τῆς ψυχῆς οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν· οὐ γὰρ αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ ταύτην ἐκέκτητο τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἕτερον ἅμα συγγεγενημένον αὐτῷ παρεσκεύαζεν, ὃ διὰ τῆς συντελεθείσης περὶ αὐτὸ δυνάμεως κατὰ τὴν κίνησιν σύμπτωμα αἰσθητικὸν εὐθὺς ἀποτελοῦν ἑαυτῷ ἀπεδίδου κατὰ τὴν ὁμούρησιν καὶ συμπάθειαν καὶ ἐκείνῳ. » (D. Laert., X, 64.)

4. Plutarc., *de Placit. ph.*, IV, 23.

5. D. Laert., X, 66.

6. Lucret., III, 141.

nomine, non inaudita nondum functio, inexpertusve affectus inducitur, at αἴσθησις quodammodo perfecta, id est intellectualis rerum externarum quæ nos perculerunt, repræsentatio mera. Ideo Epicurus et Epicurei quotiescunque αἴσθησιν ut veritatis criterium invocant, eam indiscrete αἰσθήσεως aut φαντασίας nomine designant. Videndum est nunc quid valeat hoc criterium cujus ortum deteximus.

II. — De intima Epicuri opinione non jam ambigere licet, quia non semel ipse contendit sensum nunquam falli, porro omnem sensionem, omnemque phantasiam seu apparentiæ perceptionem esse veram, quod pluribus confirmat argumentis.

Unum e præcipuis, forma bipartitum, a sensionis natura ipsa hauritur :

Primo, ait Epicurus, sensus nunquam fallitur, nam rationis est expers, nulliusque memoriæ capax [1]. Sensus enim proprium est id solum quod præsens sit et ipsum moveat, apprehendere, non item inter se diversa componere. Atqui, ut quidquam opinemur et, consequenter, opinando fallamur et erremus, necesse est ut impressionibus receptis quidpiam addere aut detrahere, et enuntiando ideas nunc copulare, nunc distinguere liceat, quod fieri non potest nisi memoria res copulandas revocet, ratioque ipsa eas copulet. Error, igitur, non e sensu, sed e judicio et ratiocinatione quibus apparentiæ perceptiones deformari possunt, semper oritur.

Secundo sensus nunquam falli contendit Epicurus, quia

1. « Πᾶσα γὰρ αἴσθησις ἄλογός ἐστι καὶ μνήμης οὐδεμίας δεικτική· οὔτε γὰρ ὑφ' αυτῆς οὔθ' ὑφ' ἑτέρου κινηθεῖσα δύναταί τι προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν. » (D. Laert., X, 31.) — « Αἰσθήσεως δὲ ἴδιον ὑπῆρχε τοῦ παρόντος μόνον καὶ κινοῦντος αὐτὴν ἀντιλαμβάνεσθαι, οἷον χρώματος· οὐχὶ δὲ τὸ διακρίνειν ὅτι ἄλλο μέν ἐστι το ἐνθάδε, ἄλλο δὲ τὸ ἐνθάδε ὑποκείμενον. » (Sext. Emp., *adv. Log.*, I, 210.) — Cf. *idem*, VIII, 9, « τὴν δὲ αἴσθησιν, κ. τ. λ. »

nihil sit quod refellere, falsive ipsos arguere possit. Æqualem enim vim habent et eamdem merentur fidem [1]. Non lippus minus videt quod videt, quam lynceus id videt quod videt. Itaque non datum est sensum aliquo, similis an dissimilis generis, sensu refellere.

> Non porro poterunt ipsi reprehendere sese,
> Æqua fides quoniam debebit semper haberi,
> Proinde quod in quoquest his visum tempore verum est [2].

Non idem est oculi dextri, idem sinistri visus, par tamen est utriusque ratio ac æquipolentia; baculum item, nunc rectum extra aquam, nunc recurvum, immersum ex parte, contuemur, neque tamen, quantumvis nitamur, aut in priore statu curvum, aut in posteriore rectum, videre fas est. Quæ cum ita sint, utraque repræsentatio vera est.

Cum similis generis sensum, sensus similis arguere nequeat, non magis dissimilis sensus potest.

> An poterunt oculos aures reprehendere, an aures
> Tactus? hunc porro tactum sapor arguet oris?
> Ideo necesse est
> Non possint alios alii convincere sensus [3].

Denique ratio ipsa ad sensum refellendum non valebit, quoniam a præviis pendet sensibus qui nisi fuerint veri, ratio quoque falsa erit omnis [4].

Altera via, ad eumdem scopum eamdemque conclusionem reducitur Epicurus. Quemadmodum, ait Sext. Empiricus,

1. Οὔτε γὰρ ὁμοιογενὴς αἴσθησις τὴν ὁμοιογενῆ διὰ τὴν ἰσοςθένειαν, οὔθ' ἡ ἀνομοιογενὴς τὴν ἀνομοιογενῆ· οὐ γὰρ τῶν αὐτῶν, εἰσι κριτικαὶ· οὔθ' ἡ ἑτέρα τὴν ἑτέραν· πάσαις γὰρ προσέχομεν. (D. Laert., X, 32.)
2. Lucret., IV, 495.
3. Lucret., IV, 484 et sq.
4. Οὔτε μὴν λόγος· πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται. (D. Laert., X, 32.)

qui paucis illius sententiam explanat, omnem voluptatem omnemque dolorem ab nonnullis causis, nunc jucundis, nunc molestis, pendere necesse est, ita, omnes phantasias e causa quæ omnino talis sit ut eas efficiat, pendere oportet. Quicquid, exempli causa, est visibile non solum videtur visibile, sed etiam est tale quale videtur; et audibile, non solum videtur audibile, sed etiam revera est tale, et cætera similiter.

Huc igitur, summo, hæc omnia argumenta tendunt : aut omnes veros esse sensus, aut omnem certam fidem evanescere et ideo, cum rerum cognitionem et scientiam, tum vitæ degendæ et rerum gerendarum rationem tolli.

> Ut in fabrica, si prava est regula prima,
> Normaque si fallax rectis regionibus exit...
> Omnia mendose fieri atque obstipa, necesse est [1].

Non autem dubium est quin scientia magis atque magis vigeat, veritasque magna ex parte improbis hominum laboribus et disquisitionibus in lucem proferatur, itaque sensus, a quibus notiones animi quasi a primo fonte oriuntur, secura veritatis criteria habendi sunt. Inde ea quæ sæpissime apud Epicurum et de Epicuro invenimus judicia : « Si unus sensus, semel in vita mentitus sit, nulli unquam amplius sese credendum [2]. » « Quos qui tollunt et nihil percipi posse dicunt, ii, remotis sensibus, ne id ipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Præterea, sublata cognitione et

— Eadem fere apud S. Emp. (adv. Log., II, VIII, 64), invenimus : « Καὶ ἄλλως φησὶν, οἱ προειρημένοι, τῶν φαντασιῶν διαφορὰν εἰσάγοντες, οὐκ ἰσχύουσι πιστώσασθαι τὸ τινάς μὲν αὐτων ἀληθεῖς ὑπάρχειν, τινὰς δὲ ψευδεῖς· οὔτε γὰρ φαινομένῳ διδάξουσι τὸ τοιοῦτον, ζητεῖται γὰρ τά φαινόμενα, οὔτε ἀδήλῳ· διὰ φαινομένου γὰρ ὀφείλει τὸ ἄδηλον ἀποδείκνυσθαι. »

1. Lucret., IV, 514.
2. Cic., *Lucull.*, c. xxv. — Cf. *idem*, D. Laert., X, 146 et 147.

scientia, tollitur omnis ratio et vitæ degendæ et rerum degendarum [1]. » Aristocles etiam timuisse Epicurum ait, ne si sensus aliquos falsos diceret, criterio regulaque omni destitueretur. Denique Tertulianus scribit : « Epicurei constantius (quam Stoici) parem omnibus sensibus atque perpetuam defendunt veritatem : sed alia via. Non enim sensum mentiri, sed opinionem; sensum enim pati, non opinari; animam enim opinari [2]. »

III. — Quamvis Epicurus in paucis fragmentis quæ nobis D. Laertius tradidit, nec non et apud Lucretium nullo loco cum adversariis, ut ita dicam, comminus pugnet, ex argumentis tamen quæ retulimus facile videtur ille in hac re cum scepticorum, tum stoicorum doctrinam potissimum lacessisse. — De scepticis, Lucretius in his versibus qui sequuntur sine ulla dubitatione cogitavit :

> Denique nil sciri si quis putat id quoque nescit,
> An sciri possit quo se nil scire fatetur...
> Quæram, quum in rebus veri nil viderit ante
> Unde sciat, quid est scire et nescire vicissim [3].

Istam autem judicandi et sciendi regulam, quam esse negabant, ipse eamdem esse et in sensibus positam esse affirmat.

Adversus stoicos Epicurus contendisse non minus apparet. — Primo quidem adspectu, Epicurum ac Zenonem de sensibus eadem docuisse credere est : ut enim a stoicis sensio velut « τύπωσις ἐν τῷ ἡγεμονικῷ [4] » habebatur, sic ab

1. Cic., *de Finib.*, I, 19, 64. — Cf. *idem*, Plutarc., *adv. Colot.*, I; Lucret., IV, 468, 514 et sq.; I, 424.
2. Tertul., *de Anima*, cap. XVII.
3. Lucret., IV, 470.
4. Sext. Emp., *Hypot.*, II, 70.

Epicureis fere iisdem verbis inducebatur : « ἡ αἴσθησις ἀλήθως τυποῦται [1]. » Adde quod utrique eodem vocabulo « ἐναποσφραγίζεσθαι » utebantur, dum quomodo res animum afficerent exprimere in animo habebant. Quamvis hæc ita sint, attamen cætera apud utrosque dissimilia sunt : si enim alteris credas, quæ sensibus præbentur, alia vera, falsa alia sunt; si alteris, vera omnia esse putanda sunt. « Urgebat, ait Cicero, Arcesilas Zenonem, cum ipse falsa omnia diceret, quæ sensibus viderentur : Zeno autem nonnulla visa esse falsa, non omnia. Timuit Epicurus, ne, si unum visum esset falsum, nullum esset verum; omnesque sensus veri nuntios dixit esse [2]. » Quantum vero de hac re differat a Zenone Epicurus, locus quidam jam a nobis supra usurpatus, non obscurius ostendit [3].

IV. — Istam nunc de sensu, veritatis criterio, doctrinam, quantum valeat videamus. Multa profecto et gravissima huic protinus objici possunt; ad hoc autem unum omnia redigemus : Concedimus nullum effectum esse sine causa, nec non et phantasiam e causa illi accommodata pendere; quærimus autem quæ sit ipsius phantasiæ aut sensionis reipsa causa? — Ex his vero quæ superius dicta sunt, manifestum est eam causam proximam non aliam esse quam simulacrum quod a rebus externis permanavit sensoriumque perculit, resque ipsas in occulto stare; quamobrem superest adhuc ut requiramus utrum simulacra cum rebus externis sic plane congruant, ut cum simulacris, sensio? annon, quæ enim si non sint inter se omnino congruentia, ad

1. Plutarc., *adv. Colot.*, cap. xxv.
2. Cic., *De nat. Deor.*, I, xxv. — Cf. id., *de Finib.*, I, 7; *Acad.*, II, 25-32.
3. Sext. Emp., *adv. Log.*, II, VIII, 64, *loc. cit.*

scepticorum sententias, quas tamen reprehendit Epicurus, inviti reducamur.

Subtiliter et argute difficultatem et, ut ita dicam, ipsius doctrinæ scopulum, superare videtur Epicurus cum de ortu propriaque simulacrorum natura sententiam explanat. Docet enim simulacra vel rerum effluxiones non modo ex atomis tenuissimis constare, sed etiam et corporum a quibus dimanant, consimilia esse, et eamdem formam eumdemque positum diutissime servare posse; quare non mirum est quod simulacra eodem modo percellant et moveant et consequenter sensiones phantasiasque easdem efficiant. Nam qui fieri possit ut εἴδωλον quod phantasiarum efficiens est, eamdem figuram servare queat, nisi sit rerum quædam effigies, cum rebus omnino congruens? Ea igitur vere cum rebus congruentia sunt simulacra, quæ sensus in variis locis variisque temporibus semper eodem modo afficiunt eademque videntur [1].

Dum hæc profitetur, scopulum sane potius amovit quam superavit Epicurus; quod autem ad alias difficultates sensuumque errores attinet, id infra tentabimus enodare cum opinioni sensibus arctissime conjunctæ, studebimus.

1. « Τὸ τὰ ἐπαισθήματα δ' ὑφεστάναι πιστοῦται τὴν τῶν αἰσθήσεων ἀλήθειαν. » (D. Laert., X, 32.) — Cf. id., X, 50, 51.

CAPUT QUARTUM

DE OPINIONE

Phantasiæ cum ea sint elementa e quibus cogitatio nascitur, opinio autem ipsa sit cogitatio, neque origine, neque natura congruunt. Φαντασία enim quomodo semper e motu quodam oriatur, qui ab rebus externis procedens per sensoria, ad animum (ἡγεμονικόν) usque pervenit, jam scimus: δόξα vero e motu qui in nobismet ipsis sponte sua nascitur, procedit. Hic motus, fateor, nunquam posset fieri, nisi motu altero sensibus dato (κίνησις αἰσθητική) propulsatus, ad quem referenda est illa quæm dicitur φανταστικὴ ἐπιβολὴ; idem tamen motus, cum semel ab altero propulsatur, tum sua sponte et libere extenditur; quo modo proprie nascitur ipsa cogitatio. Ex his bene apparet quantum inter se distent δόξα et φαντασία : τῆς φαντασίας voce solam Epicurus significat actionem qua rei apparentia, incurrensve imago, seu sensu, seu mente percipitur; τῆς δόξης voce contra, suspicionem quæ sensionem sequitur [1]. Phantasia mera est ac nuda repræsentatio objecti : opinio autem judicium, quo rebus

1. Ἡ δόξα ὑπόληψις. D. Laert., X, 34.

ipsis imagines quæ nobis repræsentantur respondere aut non respondere, dicimus. Hinc nec affirmamus nec negamus; illinc negamus aut affirmamus; hinc unus terminus est, illinc quidem duo sunt, scilicet subjectum et prædicatum, tum per *est*, tum per *non est*, copulata. Ex opinantis igitur mente, sensuum *data* quodammodo discreta modificataque evadere possunt, nec mirum est aliquid interdum falsitatis intercedere. Quare Epicurus nos docet cum omnes nostras sensiones veras esse tum opiniones nunc veras, nunc falsas : πᾶσαν αἴσθησιν καὶ πᾶσαν φαντασίαν ἀληθῆ· τῶν δὲ δοξῶν τὰς μὲν ἀληθεῖς, τὰς δὲ ψευδεῖς [1].

I. — Quæ distinctio nobis facultatem præbet eos philosophos redarguendi qui, dum sensus falli præjudicant, certum veritatis criterium sensionem esse infitiantur. Nemo ignorat quam prospere successerit his contradictionibus, quæ etiam nunc apud scepticos quosdam valent : ex hoc autem ducuntur quod non nunquam fit ut idem sensus nobis diversas et discrepantes ejusdem objecti phantasias ministret, aut etiam sensus quilibet phantasmata vana et commenticia non secus ac vera repræsentet.

Inter omnes antiqui temporis philosophos, nullum fuisse bene constat qui sensuum dictos errores majore cura quam Epicurus vel potius ejus discipulus Lucretius enumeraverit, quasi eum juvaret nodos quam plurimos nectere, quos postea facillime se expediturum esse confideret. De nullis tamen subtilius ac curiosius locutus est quam de oculorum erroribus, quippe qui maxime omnium opprimant animum et quasi obstupefaciant. Etenim, si omnia quæ sensibus traduntur, vera sunt, quo modo fit ut turris, quamvis re vera

1. Plutarc., *de Placit. phil.*, IV, 8. — Sext. Emp., *adv. Log.*, I, 203; II, VIII, 63.

quadrata sit, procul rotunda videatur[1] ? Ut sidera, quamvis re vera assiduo et rapido sint motu, ætheriis cavernis affixa nobis appareant [2]? Ut sol, quamvis a terra longissime absit, montes tamen cominus contingere videatur [3] ? Ut navis, qua vehimur, stare et littus, a quo vehimur, moveri appareat, quamvis revera omnia sint omnino diversa [4] ? — Quomodo etiam fit ut in speculis ea membrorum pars quæ nobis dextera est læva videatur, quæ vero læva dextera appareat [5] ? Nec non et ea quæ citra specula sunt quomodo extra eadem adspiciuntur [6]? — Quomodo denique fit, si modo nunquam falluntur sensus, ut eadem aliis frigida, aliis calida sentiantur, ut quæcunque arquati tuentur, lurida et palloribus picta esse sibi fingant [7] ? — Apertius autem falli sensus videntur cum ante oculos ut præsentia et vera proponunt quæ mente tantummodo sustentantur [8]. Nonne his imaginibus decipimur, cum simulacra in somno nobis oblata, pro solidis corporibus, vereque existentibus, habemus ? Nonne sensus errore deludebatur Orestes qui, vel vigilans, se a furiis insequentibus urgeri credebat ? — Harum rerum, quibus nos falli videmur, pleræque facile intelliguntur, Lucretii quidem sententia, si particularum adspicias motum, ex quibus imagines oriuntur. Turris enim quadrata si procul rotunda appareat, propterea fit,

> Angulus obtusus quia longe cernitur omnis :
> Sive etiam potius non cernitur, ac perit ejus

1. Lucret., IV, 354.
2. Id., 392.
3. Id., 405.
4. Id., 389.
5. Id., 294.
6. Id., 271.
7. Id., 334.
8. Diog. Laert., X, 51. — Sext. Emp., *adv. Log.*, I, 203 ; II, 63.

Plaga, nec ad nostras acies perlabitur ictus;
Aera per multum quia dum simulacra feruntur,
Cogit hebescere eum crebris offensibus aer [1].

Non aliter, si multa nobis immota videantur quamvis moveantur revera; nulla alia causa est nisi quia imagines, quæ ab iis emittuntur, eodem modo sensus nostros afficiant; item, si moveri alia crederes quamvis immota sint, imagines constat alio atque alio modo ad nos venire. Quod ad specula quibus fallimur pertinet, animadvertere satis sit imagines ad speculi planitiem prius venire quam ad nos perveniant; inde fit ut rem adspiciamus non secus ac si re vera eodem esset loco unde imago ipsa nobis occurrit. Eodem modo fere omnia quibus fallimur facile explicantur, dum constet εἴδωλα per varia loca delata tenuiora minoraque fieri deterique et evanescere tandem, ac variis etiam modis inter se misceri et permutari.

Attamen aliquando sensus errores non modo simulacris, sed etiam corpore nostro fulciuntur; ii sunt, exempli causa, quos de arquatis supra retulimus :

Lurida præterea fiunt, quæcunque tuentur
Arquatei, quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt, simulacris obvia rerum;
Multaque sunt oculis in eorum denique mixta,
Quæ contage sua palloribus omnia pingunt [2].

Causam vero, cur eadem aliis frigida, aliis calida sentiantur, hanc Epicureos assignare solitos Plutarchus refert [3] : « Singula diversis ac contrariis qualitatibus constare, mul-

1. Lucret., IV, 354 et sq.
2. Lucret., IV, 334.
3. Plutarc., *adv. Colot.* — Cf. Introductio in Ciceronis academica, P. Valentiæ.

taque ac sibi pugnantia in unaquaque re commixta et colligata teneri. Hominum quoque sensus varia ratione temperatos, vario etiam modo ad res accommodari atque applicari, ita ut quum alius eamdem rem tangat, aut quovis sensu apprehendat, non eadem illius, quas alius, partes attingat. Sed prout sensus ad rem temperaturæ habeat, ita alias et alias ejusdem rei partes et facultates tangat et excipiat : veluti si ex fonte aliquo, in quo multorum generum res permixtæ contineantur, accedens alius aliud hauriat. Non esse igitur quod quis aliorum sensus damnet, aut mendaces dicat, quod non eo, quo ipse modo, ab eadem re afficiantur; quum omnes omnium sensus veraces sint, nec mentiri possint. »

Alia denique causa est, qua falsæ oriuntur imagines ; supra enim animadvertimus quasdam imagines per spatium sua sponte nasci sensusque nostros afficere posse.

Hæc igitur omnia paucis verbis ut dicam, nunquam fallimur, nisi quia imagines, cum rebus non congruentes, sensus nostri percipiant. Quas autem partes agant sensus nunc est nobis adspiciendum : hoc solum propriumque, ut supra vidimus, sensuum munus est res præsentes, quæ sensoria movent et percellunt, percipere, non autem ratiocinari scrutarique utrum eadem res nunc alia sit, nunc alia, necne [1]. Non igitur totum solidum vidimus, sed solidi colorem; colorque ipse, prout e longiore intervallo aut minore concipimus, immutatur. — Eodem modo fit ut neque vox quæ in aere pulsato est, neque ea quæ in ore est vociferantis, exauditur, sed ea quæ in aurem nostram incidit. Si autem intervallo et distantia, et ipso per aerem trajectu, simulacra vel immu-

1. Sext. Emp., *adv. Log.*, VIII, 8.

tantur, vel extenuantur, non mirum est quod ea quasi imminuta vel extenuata, sentimus. Non unam enim sed duas imagines re vera percipimus, prout quid propius aut longius spectamus. Sensus igitur non falluntur, sed jure diceremus eos falli, si aliter fieret, hoc est si, immutata rerum specie aut figura, eadem nihilominus sensio nos afficeret. Ex opinione vero nascitur falsitas, qua pronuntiamus tales res esse revera, quales apparent.

Idem de cæteris imaginibus, quibus ludimur dicendum est. Dum Orestes a Furiis se urgeri credit, iratis Dearum speciebus, vere ipsius oculi afficiebantur, neque sensus, certo modo perculsi, fallebantur. « Furentium et somniantium visa vera sunt, ait Epicurus; movent enim; quod vero non est, non movet [1]. » At mens, dum judicat corpora eis congruentia vere existere, errat.

Hæc fusius explanat Lucretius; naturam, ait, rerum nullo modo sensus attingunt, sed tantummodo quod apparet cognoscere possunt.

> Non possunt oculi naturam noscere rerum,
> Proinde animi vitium hoc oculis affingere noli :
> Hoc animi demum Ratio discernere debet [2].

Cum falsitas a sola opinione oriatur, ex iis quæ antea diximus apparet nos judicare alia quidem recte, alia vero prave, aut quod phantasiis aliquid addimus et attribuimus; aut quod iis aliquid adimimus et communiter sensum rationis expertem oneramus judicio [3]. Quare superest ut investi-

1. D. Laert., X, 32. — Cf. Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 203, 217, et II, 63.
2. Lucret., IV, 380.
3. Ἀλλ' αἵ δόξαι εἶχον τινα διαφορὰν· τούτων γὰρ αἵ μὲν ἦσαν ἀληθεῖς, αἵ δὲ ψευδεῖς· ἐπείπερ κρίσεις καθεστᾶσιν ἡμῶν ἐπὶ ταῖς φαντασίαις. Κρίνομεν δὲ τὰ μὲν ὀρθῶς, τὰ δὲ μοχθηρῶς· ἤτοι παρὰ τὸ προστιθέναι τι καὶ προσνέμειν ταῖς

gemus qualibus regulis, canonibusve, tum veras, tum falsas esse opiniones discernere possimus, quod quidem difficillimum est :

> Nam nihil ægrius est, quam res secernere apertas
> Ab dubiis, animus quas ab se protinus abdit [1].

II. — Duos inducit canones Epicurus quorum altero docet : « Veras esse opiniones quibus ipsa sensus evidentia suffragetur et non refragetur [2] : ἀληθεῖς μὲν αἵ τε ἐπιμαρτυρούμεναι καὶ οὐκ ἀντιμαρτυρούμεναι πρὸς τῆς ἐναργείας [3]. » Sext. Empiricus hanc regulam, quam fere iisdem verbis [4], quibus Diogenes, exponit, accuratius exemplis ex Epicureis videlicet excerptis, explicat : cernit quis procul hominem ad se venientem, et Socratem putat. Si is postquam accesserit, Socrates ex evidentiæ testimonio esse comperiatur, ablato intervallo quod impediebat quo minus illius spectrum plane integrum exciperetur : opinio vera fuerat; sin contra, falsa. Omnis igitur *suffragatio* efficitur [5], quotiescunque opinio cum ipsa sensus evidentia, id est phantasiæ specie cui, remotis omnibus judicandi obstaculis, contradici non potest, prorsus est consentanea.

φαντασίαις, ἢ παρὰ τὸ ἀφαιρεῖν τι τοιοῦτον, καὶ κοινῶς καταψεύδεσθαι τῆς ἀλόγου αἰσθήσεως. Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 210.

> Cetera de genere hoc mirande multa vidimus,
> Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt :
> Nequidquam : quoniam pars horum maxima fallit
> Propter opinatus animi, quos addimus ipsi,
> Provisis ut sint, quæ non sunt sensibu'visa. (Lucret., IV, 463.)

1. Lucret., IV, 468.
2. D. Laert, X, 34, 51. — Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 212.
3. His φαντασίας et ἐναργείας vocibus, unam et eamdem rem designat Epicurus ut apparet e testimonio S. Empirici : « Τὴν φαντασίαν, ἣν καὶ ἐνάργειαν καλεῖ. » (Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 203.)
4. Vid., infra, pag. 36.
5. « Ἔστι δὲ ἐπιμαρτύρησις μὲν, κατάληψις δι'ἐναργείας τοῦ, τὸ δοξαζόμενον τοιοῦτον εἶναι, ὁποῖόν ποτε ἐδοξάζετο. » (Sext. Emp., *id.*, VII, 212.)

Præterea, addit Epicurus, necesse est opinioni, ut hæc sit vera, non refragetur sensus evidentia. Ipse enim, exempli causa, inane existere, quamvis non sit evidens, contendit; at cum manifesto videamus corpora moveri et necesse sit, nisi sit inane per quod res procedere possint, omni motu corpora careant, opinio, qua judicat inane esse, confirmatur, quia sensus evidentia corpora moveri manifestum facit, nec inanis existentiæ refragatur [1]. Sensio igitur, in summa, opinionis criterium existimatur. Hæc est opinionum obrussa, quippe quæ nihil valeant nisi sensione fulciantur.

Huic veritatis criterio respondet alterum Epicuri præceptum quo, his verbis, conditur erroris criterium : « Falsæ sunt opiniones quibus refragatur et non suffragatur ipsa sensus evidentia : ψευδεῖς δὲ, αἵ τε ἀντιμαρτυρούμεναι, καὶ οὐκ ἐπιμαρτυρούμεναι πρὸς τῆς ἐναργείας [2]. » Refragationem dicimus esse cum res manifesta et evidens, id est sensio certissima, et opinio de re dubia et inevidenti discrepant. Veluti, cum stoici contendunt inane non esse, de re inevidenti statuunt et decernunt, huic autem sententiæ si assentimur, necesse est corpora moveri infitiamur, quod tamen sensus evidentia comprobatur.

Suffragatio non est, cum sensio, quæ opinabamur et quasi ominabamur, ea non confirmat. Ita, ut eodem exemplo, quo antea, utamur, si quemdam procul accedentem opinamur Platonem esse, et propius adstantem, non Platonem sed unum ex ejus discipulis cernimus, non dubium est quin nostra prior opinio falsa fuerit. Evidentia igitur omnis notitiæ stirps semper habenda est atque fundamentum : πάντων γὰρ κρηπὶς καὶ θεμέλιον ἡ ἐνάργεια.

1. « Οὐκ ἀντιμαρτύρησις δὲ ἔστιν, ἀκολουθία τοῦ ὑποσταθέντος καὶ δοξασθέντος ἀδήλον τῷ φαινομένῳ. » *Ibid.*, 213.
2. Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 211.

Ex quo fit ut hoc novum præceptum ponat Epicurus, quod quasi tertium canonem jure existimare possumus, quodque cæterorum canonum vim et auctoritatem consummat : priusquam aliquid verum esse aut falsum præjudicemus, exspectandum est donec modis omnibus, quantum in nostra sit potestate, res expensa sit atque explorata [1] ; nervos constat et artus sese sapientiæ nihil temere credere.

Hanc doctrinam dilucide explanat Aul. Gellius : « Visa animi, ait quas φαντασίας philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim spe accidentis ad animum rei pellitur, non voluntatis sunt, neque arbitraria, sed vi quadam sua inferunt sese hominibus noscitanda. Probationes autem quas συγκαταθέσεις vocant, quibus eadem visa noscuntur ac dijudicantur, voluntariæ sunt, fiuntque hominum arbitratu. Propterea quum sonus aliquis formidabilis, aut e cælo, aut ex ruina, aut repentinus nescius periculi nuntius, vel quid aliud est ejusmodi factum, sapientis quoque animum paullisper moveri, et contrahi, et pallescere necesse est, non opinione alicujus mali percepta, sed quibusdam motibus rapidis, et inconsultis officium mentis atque rationis prævertentibus. Sapiens autem quum breviter et strictim colore atque vultu motus est, οὐ συγκατατίθεται, non simul apponit vel approbat, sed statum vigoremque sententiæ suæ retinet, quam de hujusce modi visis semper habuit, ut de minime metuendis, sed fronte falsa et formidine inani territantibus [2]. »

III. — Nemo infitiari potest clara et dilucida esse Epicuri præcepta ; præsertim si cogitemus quot regulas, quam tenues

1. « Ὅθεν τὸ προσμένον εἰσήχθη, οἷον τὸ προσμεῖναι καὶ ἐγγὺς γενέσθαι τῷ πύργῳ καὶ μαθεῖν ὁποῖος ἐγγὺς φαίνεται. » D. Laert., X, 34. — Cf. *idem*, 147 : « Εἴ τινα ἐκβάλλῃς κ. τ. λ... »

2. Aul. Gellius, lib. IX, 1. — Cf. St. August., *de Civ. Dei*, lib. IX, 4.

quamque subtiles Aristoteles et stoici ponant; dubitare autem licet num sint tam solida quam simplicia et ab erroribus semper nos amovere queant.

Hoc, in primis, objici solet hos canones repugnantia quædam admittere : cum lunam, exempli causa, ait unus ex historicis Epicuri [1], habitari opinamur, falsa est ea opinio, cui, etsi non refragatur, non suffragatur tamen ipsa sensus evidentia; imo vero si hoc exemplum ad veræ opinionis criterium deferimus, protinus apparet hoc judicium quo lunam habitari affirmamus, cum ei, etsi non suffragatur, non tamen refragetur evidentia, verum esse. Ita eo adducimur ut inferamus opinionem, si nunc hoc, nunc illo utimur criterio veram simul existimari posse et falsam eamdem. — Satis erit ut hanc objectionem confutatam habeamus, animadvertere Epicureos canones non omnino eosdem a Laertio eosdemque a Sext. Empirico referri. Laertius enim ait : « ἀληθῆ εἶναι, ἂν ἐπιμαρτυρῆται ἢ μὴ ἀντιμαρτυρῆται »; Sext. Empiricus contra : « Ἀληθεῖς μὲν, αἵ τε ἐπιμαρτυρούμεναι καὶ οὐκ ἀντιμαρτυρούμεναι [2] »; ἢ videlicet ab altero et καὶ ab altero usurpatur, ex quo plura nec non magni momenti sequuntur. Hæc etenim propositio : *luna habitatur*, non jam vera dici potest, dum ad Sext. Empirici textum referimus, quoniam ei etsi non refragatur, non suffragatur tamen evidentia. — Diogenis autem textui quem sequitur Gassendus, quemque Gassendi instar, plerique referunt historici, Sext. Empirici textus nobis anteponendus, nec immerito videtur. Primo enim notandum est has voces ἢ et καὶ ab antiquis scriptoribus, iisdem fere signis designari et ideo errores, nec paucos, in libros, postea allapsos fuisse; secundo, Laertium, in loco

1. *Dictionnaire des sciences philosophiques*, art. Epicure.
2. Cf. D. Laert., X, 34 et 51; Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 211 et sq.

citato, non Epicuri verba propria referre, sed Epicureorum summatim doctrinam; S. Empiricum denique Epicuri canones non tantum referre, sed fusius explanare : ex quo patet, ea quæ retulerit, nec alia, propria esse Epicuri verba.

Huic vero doctrinæ, hisque canonibus alia et graviora objici possunt. Etenim ex omnibus quæ antea locuti sumus, apparet sensus non e se posse egredi et nihil directe percipere nisi rerum imaginem, quæ utrum veræ reipsa existant, annon, opinionis est decernere. Quanquam imaginem Epicurei docent cum re plerumque fideliter congruere, hanc congruentiam patet variam esse, cum arbor quælibet seu longius, seu propius conspicitur, major et eadem minor appareat; cum constet ea quæ a rebus externis simulacra emittantur, ipso per aerem trajectu antequam sensus impellant, et forma et situ immutari posse, atque etiam pro vario sensuum habitu, variam gigni sensionem variamque phantasiam : unde scilicet falsitas sæpissime nascitur. — Cum autem, ne falsis imaginibus decipiamur, hoc nobis remedium proponitur ut sensioni tantummodo credamus, eodem semper revolvimur. Comperimus enim non omnes cum rebus congruere phantasias [1]; itaque superest adhuc ut eas seligamus, verasque a falsis discernamus [2]. — Fortasse tamen hunc nodum expedire licebit si quibus argumentis sensionem erroris immunem esse defendat Epicurus, in mentem revocaverimus. Omnes profecto docet veras esse sensiones quas ab eadem re diversas suscepimus; attamen, inter eas colluctatio est, ut ita dicam, ita ut eæ quibus sæpius suffragata est evidentia quodam modo emineant fidemque jubeant :

1. Sext. Emp. fusius hanc exposuit objectionem in lib. VIII, *adv. Log.*, 64. Cf. D. Laert., X, 46; Lucret., IV, 33 et sq.

2. « C'est un aveugle donné pour tel, que l'on fait juge d'une question de couleurs. » *Dict. philos.*, *op. cit.*

alteræ quoad simulacra veræ tantum habentur; alteræ, quoad res. Nonne enim æquum est inferre has cum rebus congruere phantasias, cum simulacrum e quo pendent constans sit et æquale? Disputari autem potest nonne hic fallaci arte rem controversam rursus eludamus, quippe quod mens nullum quod experientiæ præstet et eam regat, principium ipsa afferat : mox exquiremus nonne per *anticipationem* de qua nunc disserendum est, hanc difficultatem planius enodare possimus.

CAPUT V

DE ANTICIPATIONE

Primus inter philosophos Epicurus hoc vocabulo (πρόληψις) usus est, quo secundum veritatis criterium nominat [1]. Hoc autem vocabulum sic apud D. Laertium definitur : « Τὴν δὲ πρόληψιν λέγουσιν οἱονεὶ κατάληψιν ἢ δόξαν ὀρθὴν ἢ ἔννοιαν ἢ καθολικὴν νόησιν ἐναποκειμένην, τοῦτ' ἔστι μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος, οἷον· τὸ Τοιοῦτόν ἐστιν ἄνθρωπος· ἅμα γὰρ τῷ ῥηθῆναι ἄνθρωπος εὐθὺς κατά πρόληψιν καὶ ὁ τύπος αὐτοῦ νοεῖται προηγουμένων τῶν αἰσθήσεων· παντὶ οὖν ὀνόματι τὸ πρώτως ὑποτεταγμένον ἐναργές ἐστι [2]. » Quam definitionem, quamvis nullo modo obscura videatur, alii tamen aliter interpretati sunt; nobis igitur, ut eam plane intelligamus, e nonnullis locis illustranda est, qui non solum apud Laertium, sed etiam apud cæteros antiqui temporis auctores et in primis apud Sext. Empiricum, Lucretium et M. Tullium inveniuntur.

I. — Ex hac, primum, Laertii, quam retulimus, explanatione constat anticipationem *e memoria oriri*, omniaque

1. « Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellavit, quam antea nemo eo verbo nominarat. » Cic., *de Natur. Deor.*, I, 17, 44.
2. Diog. Laert., X, 33.

quibus, ut ita dicam, contexitur elementa, a phantasiis antea receptis sumere. Eodem loco fultus, Steinhart sibi finxit πρόληψιν ab Epicuro adhibitam potissimum fuisse, cum de imagine loquitur, quæ nobis etiam tum affixa manet, postquam res ipsæ quibus præbetur jam nullo modo appareant ac nullo modo per se ipsas sensus nostros afficiant[1]. — In ista interpretatione quantum erraverit Steinhart, bene et subtiliter Tohte ostendit; nobis vero satis erit, ut eamdem falsam esse doceamus, Laertii locum in medium proferre. — Primum enim bene scimus vocabulo φαντασία, apud Epicurum, non illam solum imaginem designari, quæ nobis, dum res ipsæ vere adsunt, objicitur, sed hanc quoque imaginem quæ, rebus ipsis absentibus, mentibus affixa manet; qua ratione igitur rem eamdem, uno jam vocabulo præditam, altero nominavisset vocabulo? [2] — Quin etiam Diogenes πρόληψιν addit esse μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος; cur autem « *rem quæ jam non semel apparuit* » diceret, si πρόληψις nihil esset aliud quam rei cujuslibet absentis memoria? Num res solum istæ, quas sæpe vidimus, nostra tenentur memoria? At contra multæ sunt, quæ semel tantummodo nobis apparuerunt, nostra tamen memoria in æternum servantur, dum magni sint pretii vel sensus nostros vehementer afficiant. —

1. Der Geist, ait, hat das Vermögen, des einmal Angeschauten sich immer und immer wieder zu erinnern; in ihm selbst enstehen zugleich mit der Anschauung Bilder der Wahrgenommenen, die sich behaupten und der ganzen Denkthäthigkeit beständig zum Grunde liegen. Dies ist das Vermögen der Vorstellung, oder, wie er sie mit einem selbstgebildeten Worte nennt, der πρόληψις; darunter versteht er die in der Seele fortlebenden und beim Denken sich stets erneuernden Bilder, die, ursprünglich der Anschauung entnommen, doch nun eine eigene, von den Eindrücken der Aussenwelt unabhängige Bewegung annehmen und von dem Menschen nach Villkür hervorgerufen oder beseitig werden Können. » — Cf. Tohte, *op. cit.*, p. 15.

2. « Ἡ δὲ φαντασία διχῶς νοεῖται· καὶ γὰρ αἰσθητῶν ἐστι φαντασία καὶ νοητῶν. » (Aetius, IV, 9, 5.) — Epicurea Her. Usener, p. 183.

Alia etiam, et majora, argumenta nobis e vocabulis aliis licet petere, quæ ab Epicuro usurpata fuisse affert Laertius. Πρόληψιν enim esse ἔννοιαν quamdam vel etiam καθολικὴν νόησιν nobis tradit; hæc autem vocabula nihil aliud significent necesse est nisi notionem generalem, id est in qua comprehenduntur nonnulla ad omnes unius generis vel mortales vel res pertinentia. — De quo ne dubitemus, locum quo M. Tullius quid sit deorum πρόληψις exponit habemus; nullo modo enim intelligi potest, si de imagine quadam uno, ut ita dicam, rerum ictu mentibus inserta cogitemus; facile vero intelligitur, si animum de speciebus per sensus semel datis quasi laborantem fingas [1]. — Idem cæterum M. Tullius de hoc, quod volumus, certiores adhuc nos facit in Topicis; ἔννοιαν enim et πρόληψιν dum definit, verum esse quod diximus ipse confirmat : « Genus, ait, et formam definiunt hoc modo : genus est *notio* ad plures differentias pertinens. Forma est *notio*, cujus differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest. *Notionem* appello quam Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita et ante percepta cujusque formæ cognitio enodationis indigens. Formæ igitur sunt hæ in quas genus, sine ullius prætermissione, dividitur : ut si quis jus in legem, morem, æquitatem dividat [2]. » Ex quo facile videtur προλήψεις notionibus, quæ ad genus et speciem pertinent, omnino esse similes et idcirco ab hac φαντασίᾳ, per quam res singulæ sine ulla generis aut speciei mentione percipiuntur, omnino differre. Ita (ut Laertii exempla ururpemus) bovis aut hominis, quam ante oculos intueor, species, phantasia proprie dicitur; bovis vero aut hominis cujuslibet notio, non magis alii quam alii congruens,

1. Cic., *de Natur. Deor.*, I, 43.
2. Cic., *Top.*, I, 7.

omnibus autem bobus aut hominibus conveniens, πρόληψις est.

Adde quod de hac re, in qua nunc versamur, multi ac merito animadverterunt Epicurum cum stoicis mirabili quodam modo convenire et vocabula fere eadem adhibuisse. Constat enim stoicos sæpe pro vocabulo isto (προλήψεις), κοινὰς ἐννοίας clarius dixisse; Diogenes autem, nec semel, cum de Epicuro loquitur, eodem vocabulo (ἔννοια) utitur; nec non et Lucretius Epicuream πρόληψιν latine appellat *notitiem* vel *notitiam*, qua proprie vertitur illud a stoicis sæpe usurpatum[1]. Paulo cæterum infra videbimus Epicurum et Zenonem de hac re multo magis convenisse.

Πρόληψιν denique Epicurus simul κατάληψιν esse et δόξαν quoque addit; quod ex his quæ diximus facile sequitur : primo enim πρόληψις cum notio sit, ipso facto quæ sit rerum essentia intelligit et quodammodo nonnullas res amplectitur ad unamque redigit, quod est scientiæ proprium; cum deinde non solum ad res, quæ re vera perceptæ sunt, sed ad res quoque ejusdem generis quæ percipi possent, attineat, eamdem esse δόξαν, per quam de rebus antequam percipiantur judicamus, nihil mirum est dicamus. Nec igitur immerito a Tullio definitur : « Anticipata quædam informatio », quippe quæ vel futura vel inexplorata prænotet ac contineat.

Hoc insuper nos admonet Epicurus, anticipationem, adjuvante sermone, generalem tantummodo fieri, vagamque et inutilem haberi, donec voce propria, ut ita dicam, ipsa cor-

1. « Πρῶτον μὲν οὖν τὰ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις δεῖ εἰληφέναι, ὅπως ἂν τὰ δοξαζόμενα ἢ ζητούμενα ἢ ἀπορούμενα ἔχωμεν εἰς ταῦτα ἀναγαγόντες ἐπικρίνειν καὶ μὴ ἄκριτα πάντα ἡμῖν [ἴῃ] εἰς ἄπειρον ἀποδεικνύουσι ἢ κενοὺς φθόγγους ἔχωμεν· ἀνάγκη γὰρ τὸ πρῶτον ἐννόημα καθ' ἕκαστον φθόγγον βλέπεσθαι καὶ μηθὲν ἀποδείξεως προςδεῖσθαι, εἴπερ ἕξομεν τὸ ζητούμενον ἢ ἀπορούμενον καὶ δοξαζόμενον ἐφ' ὃ ἀνάξομεν. » (D. Laert., X, 38.) — Cf. *idem*, 33; Cic., *De finib.*, II, 2, 6.

porata fuerit. Itaque nos suadet ut, ante omnia, quæ vis subjecta sit vocibus comprehendamus. Cum jam anticipationem notionesque communes, quatenus dilucidæ et perspicuæ sunt, nunquam a vocibus sejungat Epicurus planius nunc intelligi potest quam ob rem Stoicorum τὸ λεκτόν repudiaverit et in voce tam verum quam falsum, ut supra retulimus [1], reliquerit : quæ saltem doctrina parum ab ea, quam Nominales nostri defendunt, differre videtur [2].

II. — Anticipationem, cujus sit naturæ et quibus modis penitus appareat, nunc novimus; quæ sit ejusdem origo et quantum valeat, videamus.

Unum est primum, de quo nihil, ut videtur, est contradicendum : anticipationes nullo modo *notiones innatæ* possunt haberi, si modo hodiernum hujus vocabuli sensum accipiamus. — Eædem, fateor, anticipationes a M. Tullio « insitæ vel potius innatæ cognitiones » nominantur; at, quis est qui non videat, ut bene viderunt Roorda, Schœman, nec pauci alii, M. Tullium in hoc loco, ut sæpe in dialogis fit, metaphorice dixisse? Si Schœman interpretatori credas, hoc vocabulo « *innatæ* », tantummodo M. Tullius significavit πρόληψιν a natura nostra nobis esse datam; ad hæc bene animadvertit Roorda eumdem Tullium de planta, quæ secundum naturam solo surgit, fere eadem dixisse : « innascitur agro »; istas autem προλήψεις, per sensuum perceptiones mentibus nostris a natura quasi insitas, non aliter ac plantas solo, putandum est. Fortasse etiam in isto loco nihil aliud significavit M. Tullius, nisi anticipationes, quamvis per sensus non secus ac

1. Vid. sup., cap. II, p. 12.
2. Cf. St. Mill, *la Philosophie de Berkeley*, *Revue philosophique*, t. I.

alias notiones datas, tam cito mentibus inseri, ut quodammodo innatæ dici possint.

Tullius cæterum quid vere senserit parum refert, cum de Epicuri doctrina nihil sit dubium. Docet enim omnes nostras cogitationes e sensibus quasi e fonte hauriri « aut per incidentiam, aut per quamdam proportionem, aut per similitudinem, aut denique per compositionem, cooperante etiam ratiocinatione [1] ». — Per incidentiam (κατὰ περίπτωσιν), primum, in mentem incidunt notiones illæ quæ a rebus proficiscuntur per se directe in sensoria incurrentibus et inde animum moventibus; eæ sunt notiones Solis, Lunæ, Socratis, aut cujuslibet alius objecti. — Ex iis autem notionibus, aliæ aliis modis formantur : nunc enim amplificatur aut extenuatur prior forma rerum, quemadmodum cum e specie hominis, justæ magnitudinis, fingimus, adaugendo, Gigantis speciem; aut, extenuando, Pygmæi, ex quo notio per proportionem (κατ' ἀναλογίαν) efficitur; — nunc inter se plurimas ejusdem generis repræsentationes conferimus, atque earum similem aliam fingimus notitiam, inde per similitudinem (καθ' ὁμοίοτητα) dictam, ut cum e speciebus plurium urbium urbem non visam, visarum instar, concipimus; — nunc denique per notionum compositionem, quas e diversis fontibus hausimus, notitiam nulli rei congruentem existenti compingimus, ut cum e montis, aurique notionibus, notionem montis aurei fingimus; cum e notionibus hominis et equi, notionem Centauri, atque ita de cæteris : quæ notiones vere ac merito per compositionem (κατὰ σύνθεσιν) dicuntur, cum varia cum variis jungant in unum. — Nec minime vero id quod protinus adjicit

1. « Ἐπίνοιαι πᾶσαι ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων γεγόνασι κατά τε περίπτωσιν καὶ ἀναλογίαν καὶ ὁμοίοτητα καὶ σύνθεσιν, συμβαλλομένου τι καὶ τοῦ λογισμοῦ. » Diog. Laert., X, 32. — Cf. *idem*, X, 40.

Epicurus animadvertere præstat, videlicet : « Omnes cogitationes tantum, aliquid conferente ratiocinatione (συμβαλλομένου τι λογισμοῦ), effici posse ». Hac etenim sententia, nos iterum [1] docet Epicurus animam, quamdiu ipsa sentit et cogitat, non esse ceram inertem omninoque *passivam*, vim autem, contra, *activam*, rerum impulsionibus, impulsione propria respondentem, atque sensuum *data* elaborantem. Dum extrinsecus simulacris advenientibus percellitur animus, invitus ille profecto et affectus et imagines recipit et, ut ita dicam, patitur; verum nec sensiones, nec phantasiæ, nec præsertim opiniones et anticipationes efficerentur, nisi ipse sponte ageret. Notandum est præterea hanc interpretationem cum epicureis Physicæ præceptis omnino congruere, quippe cum Epicurus doceat non ex atomis inertibus et otiosis, sed ex atomis vi quadam præditis, sponte declinantibus atque liberis, corpus simul et animum constare. Verum enim vero cum ea sit anima, manifestum est eam non impelli posse, nisi statim impellat. Nonnulli Epicureorum doctrinam aliter interpretati sunt, at falsis indiciis decepti, eam Democriteæ rationi similem duxerunt, nec animadverterunt a Democrito atomos omni vi propria, proprioque motu exui, ab Epicuro autem declinandi potestate donari. — Hinc omnia fieri *mecanice* videntur; illinc, ut ita dicam, *dynamice*, ex quo multa magni momenti, in omnibus philosophiæ partibus sequuntur; quæ sint in Ethica, eximie jam notatum fuit [2], quæ sint in psychologia et canonica explanare supererat.

Hæc quæ de notionum nostrarum origine universe diximus, paulo adhuc obscuriora sunt nec clare satis quomodo

1. Vid. sup., cap. III, *de Sensu*.
2. Guyau, *Morale d'Épicure*.

προλήψεις, id est opiniones rectæ, — πρόληψις enim ab Epicuro definitur ὀρθὴ δόξα, — nascantur ostendunt ; nec mirum est : D. Laertius enim de hac re pauca et breviora nobis tradit. Juvat itaque nos apud ejusdem interpretes plura reperire. Tullius in quodam loco, ubi Epicurum simul et Zenonem sequi videtur, qua via mens utatur, sic explanat : « Mens ipsa naturalem vim habet, quam intendit ad ea quibus movetur. Itaque alia visa sic arripit, ut his statim utatur : Cætera autem *similitudinibus* constituit, ex quibus efficiuntur notitiæ rerum quas *Græci* tum ἐννοίας, tum προλήψεις vocant. Eo cum accessit ratio, argumentique conclusio, rerumque innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium apparet ; et eadem ratio, perfecta his gradibus, ad sapientiam pervenit. Ad rerum igitur scientiam, vitæque constantiam aptissima cum sit mens hominis, amplectitur maxime cognitionem ; et istam κατάληψιν quam, verbum e verbo exprimentes, comprehensionem dicemus, cum ipsam per se amat (nihil est enim ei veritatis luce dulcius), tum etiam propter usum [1]. » Ex his manifesto videmus qua ratione fingatur πρόληψις : omnes notiones, quæ a sensibus et omnes singulæ proveniunt, vi quadam animi inter se, præsentes cum præteritis memoria servatis, comparantur. Rerum quæ sæpius apparuerunt [2], quarumque meminit, similitudines ipse colligit, neglectis dissimilitudinibus, et inde universalem fingit notionem qua repræsentantur non hæc aut illa res, aut alia quædam speciatim, sed generatim omnes quas percepit. Nonne enim consentaneum est, eadem re crebro percepta, communem notionem a nobis comprehendi quæ insignem et propriam ejus rei formam repræsentet? Socratis quem sæpe,

1. Cic., *Acad.*, lib. II, 10.
2. D. Laert., X, 33.

quem sæpissime vidi, imagines non semper eædem fuere, inter quas quasi certamen fuit, ita ut quæ dissimilia essent, evanescerent; quæ autem similia, coalescerent et eminerent, atque ideo nos acrius afficerent. Hanc autem notionem generalem dicere possumus, quia, ipsa adjuvante, multa alia animantia mente concipere possumus Socratis similia, seu eodem habitu aut iisdem virtutibus sunt prædita, seu privata. Etsi etiam unum Solem vidimus, tamen cum viderimus diversis regionibus lucentem, nunc splendidius, nunc languidius, flagrantem; nunc, oculorum acie decepta, latiorem, nunc angustiorem, mente concipere et imaginari possumus alios soles qui majores aut minores sint et nitidius aut lenius luceant.

Quemadmodum de re una, ita de rebus diversis, mens operari potest, et, cum similitudines colligendo, tum dissimilitudines negligendo, notionem communem, omnibusque congruentem, fingere. « Siquidem, ait Gassendus, sententiam Epicuri referens, præter singulares anticipationes Platonis, Socratis, aliorum singularium, effingit mens aliam universaliorem, quæ id solum contineat quod omnibus commune est singularibus, resectis puta omnibus quibus differunt circumstantiis, adeo ut, quemadmodum præter nomina singulorum propria, Platonis, Socratis, et alia, datur nomen quoddam commune, quod omnibus tribuitur, videlicet homo, ita præter anticipationes speciales, quæ auditu proprio cujusque nomime excitantur, detur generalis, quæ statim nomine Hominis audito excitetur [1]. »

Quemadmodum, denique, quæ minime generalis est, notio e singularibus oritur, ita ex minus generalibus generaliores

1. Gassend., *Comm.*, p. 14.

animalis, corporis, viventis... notiones efficiuntur quæ omnes inter se hanc habent similitudinem ut essentiam vel potius quæ in singulis rebus aut in quoque genere communia et generalia sunt, complectantur; atque ideo Gassendus contendit, neque immerito, anticipationem utique nihil aliud atque definitionem esse, cum, cæteris remotis, omnia quæ in definitione sunt, præcipua et maxime necessaria, contineat.

His prænotatis, supervacaneum esset nunc fusius explanare quam ob rem tum veritatis criterium, tum opinio recta, anticipatio habita fuerit; cum enim ipsa a sensibus oriatur et repetitis evidentibusque sensionibus aut phantasiis, quarum est compendium firmetur; cum præterea omnis sensio, omnisque phantasia perpetuo vera sit, jam necesse est anticipationem esse veram; quin etiam, opinio recta dicitur, quoniam confirmatio est cujusvis opinionis quæ per evidentiam sensus, vera comprobatur [1].

III. — Nunc restat ut quas partes agat πρόληψις quæramus; Epicuri autem sententia, tanti sunt istæ partes, ut sine anticipatione nullo modo cogitare possemus. « Anticipatio, ait enim, est ipsa rei notio (et quasi definitio), sine qua nec quicquam quærere, nec dubitare, nec opinari, nec intelligere, nec disputare, nec nominare licet [2]. » — Quid est aliud dicere nisi

1. Apud Clementem Alex., πρόληψις his verbis definitur : « ἐπιβολὴ ἐπί τι ἐναργὲς καὶ ἐπὶ τὴν ἐναργῆ τοῦ πράγματος ἐπίνοιαν, annotatio, sive animadversio animi de evidenti aliquo, et de evidenti rei notione »; quasi, adjicit Gassendus, « non sit quævis occurrens, et secundum sensum, evidentiamque cognitio, sed quæ ejusmodi cognitioni veluti superveniat, ipsamque perficiat; alias nimirum nihil a prima, simplicique rei cognitione distingueretur. » Epicurea, Usener, p. 187; Gassend., t. V, p. 68.

2. Μὴ δύνασθαι δὲ μηδένα μήτε ζητῆσαι μήτε ἀπορῆσαι μηδὲ μὴν δοξάσαι, ἀλλ' οὐδὲ ἐλέγξαι χωρὶς προλήψεως. Clem. Alex., *Strom.*, II, 4. — Οἱ δὲ Ἐπικούρειοι τὰς προλήψεις αἰτιῶνται τοῦ ζητεῖν ἡμᾶς καὶ εὑρίσκειν. Plutarc., *apud*

primum sine anticipatione nullum scientiæ locum esse posse? « Non quærere, ait, absque anticipata notione licet. » Quî enim *quærere* possit aliquis utrum id quod procul apparet, bosne sit an equus nisi, per anticipationem, antea equi et bovis formam cognoverit [1]? Simili ratione, ut de motus, atomorum Deorumve existentia *dubitare* possim, necesse est ut motus, atomorum et Deorum prænotionem habeam. Denique, prænotione opus est ut *opinari* possim, nam omnis opinio comparatio est. Ut rem, quam procul intueor, quadrangulatam esse turrim, præjudicare atque opinari possim, oportet quadrangulatæ turris jam notionem esse in animo : ex hac enim notione de rei natura formaque conjicio. Plato sæpe dictitabat sine miratione quadam scientiam oriri non posse, et cum Platone de hac re Epicurus conveniebat; quomodo autem mirari mens potest, nisi jam quasdam habeat notiones, per quas perceptiones novas perpendat; nisi novas cum pristinis conferens, dissimiles esse queat judicare; nisi denique quodammodo provideat qualis sit rerum natura qualesque sint ejusdem leges? Quod nisi provideret, nunquam sane miraretur, nec unquam quæreret cur et qua ratione (τὸ διότι et τὸ πῶς) res, quæ sensibus percipiuntur, appareant.

Imo etiam dicendum est nos sine anticipatione neque inter nos *disputare*, neque *ratiocinari* posse; nihil enim *intelligere* sine ea esset nobis in promptu. Ut enim disputemus ac maxime ut nosmet ipsos inter nos intelligamus, necesse est insita mentibus habeamus principia, quæ nostrum

Olympiod. in Plat. Phædon. Οὔτε ζετεῖν, οὔτε ἀπορεῖν ἔστι κατὰ τὸν σοφὸν Ἐίκουρον ἄνευ προλήψεως. Sext. Emp., *adv. Math.*, I, 57. — Cf. *idem*, Sext. Emp., *adv. Ethicos*, 21; D. Laert., X, 33; Cic., *De Nat. Deor.*, I, 44.

1. Οὐκ ἄν ἐζητήσαμεν τὸ ζητούμενον, εἰ μὴ πρότερον ἐγνώκειμεν αὐτὸ, οἷον Τὸ πόρρω ἐστὼς ἵππος ἐστὶν ἢ βοῦς; δεῖ γὰρ κατὰ πρόληψιν ἐγνωκέναι ποτὲ ἵππου καὶ βοὸς μορφήν. D. Laert., X, 33.

quisque vera esse fateatur et ad quæ velut ad certam regulam omnia in disputatione referamus; nisi forte illi Protagoræ sententiæ assentiamur, qua hominem quemlibet omnium rerum mensuram esse (πάντων ἄνθρωπος μέτρον) affirmabat ac cuique verum esse quodcumque verum esse videtur : quod quidem nullo modo nec vinci nec pugnari quidem potest. Epicurus autem quid de iis senserit quibus ista placet doctrina, omnes sciunt; insani enim apud eum vaniloquique habentur, a sensu communi longe abhorrentes :

> Hunc igitur contra mittam contendere causam,
> Qui capite ipse suo in statuit vestigia sese [1].

Erga eosdem nullo modo mitior Epicurus apud Laertium deprehenditur; « evertunt, ait enim, omnem fidem, omnem veritatem »; vita etiam apud eos nullo modo intelligitur. « Hi qui negant quidquam posse comprehendi, hæc ipsa eripiunt vel instrumenta, vel ornamenta vitæ; vel potius etiam totam vitam evertunt funditus, ipsumque animal orbant animo [2]. »

De *ratiocinatione* eadem fere dicenda sunt. Ut enim ratiocinari possim, principiis necesse est mentem fulciamus; hæc autem principia nulla sunt et nulla esse possunt, nisi προλήψεις (quod infra, quum de ratiocinatione agetur, videbimus [3]). Anticipatione denique, ut vere *intelligamus*, non minus opus est : intelligere enim est non solum de qualibet re, qualis evenerit; de mortali quolibet, quo modo se gerat, scire, at potius manifesto videre quid sit inter res vel mortales commune et quomodo inter se res et mortales jungantur, nec non et, ut omnia cum M. Tullio paucis dicam verbis, in qua-

1. Lucret., IV, v. 472.
2. Cic., *Acad.*, I, II, 10.
3. Vid. sup., p. 65 et sq.

libet notione « rerum innumerabilium multitudinem » adspicere.

Hæc non satis sunt : sine anticipatione ne *nominare* quidem res possumus. Ut supra[1] Epicurus quid anticipationi oratio prosit ostendit, sic nunc quo modo de oratione anticipatio bene mereatur idem explicat. Quod ut bene intelligamus, de animo nostro quam parum viribus valeat cogitemus. — Primum enim scimus perceptiones quibus afficimur omnes singulares esse et quoque momento nostris sensibus offeri, ex quo eorum numerum vere innumerabilem esse sequitur; quomodo igitur animus, quicumque sit, cuique perceptioni proprium invenire posset vocabulum? — Fac, si vis, ut possit; at ista quæ numerari nequeunt, vocabula quomodo memoria retineret et maxime nobis opportune offerret? Nihil igitur mirum fere omnia vocabula quibus utimur esse generalia, id est ad notiones generales accommodata; istas igitur qui negat esse in animo notiones, is orationem idcirco funditus evertit. — Hæc adde : si forte bovem vel hominem (ut ad locum supra usurpatum redeamus) videamus, quid est cur illico vel bovem vel hominem eum nominemus, quamvis etiam adhuc nobis incognitum? Quis est qui non videat nos ita nunquam fecisse, nisi mentibus infixa teneremus et notiones utriusque generis et vocabula eisdem notionibus convenientia? Inde fit ut, si nobis forte occurrat animal quod in unum vel alterum genus redigere possimus, extemplo vocabulum huic congruens tribuamus.

Ex his omnibus deprehenditur Epicurum de anticipatione recta, nec minus, ut ita dicam, *suggestiva* sensisse; num pluribus opus est ut eos falso dixisse contendamus qui Epicureorum Canonicam velut infirmam et fere nullam accusaverunt?

1. Cic., *Acad.*, I, II, 10.

CAPUT VI

DE PASSIONE, CRITERIORUM TERTIO

Ea vox : τὸ πάθος qua tertium veritatis criterium designatur hujusmodi est ut duplex significatio tum apud Epicurum, tum apud alios græcos scriptores, ei subjecta sit.

Primo enim, universe, affectus quoslibet aut emotiones a sensuum impressionibus ortas significat, ita ut suas habeat passiones quisque sensus et cum Laertio [1] nunc ἀκουστικὸν πάθος, nunc πάθος ὁρατικόν... discernere liceat. Quæ sic habetur passio, parum a sensione differre videtur quæ modo mera objectorum repræsentatio ducitur et inde dicitur phantasia; modo affectus ipse et ideo vere πάθος dici potest.

Plerumque vero, præsertim apud Epicurum, aliter vox ea usurpatur et, angustiore sensu, voluptatem et dolorem tantummodo prænotat ut apparet e Laertii assertionibus et commentario quem apud Galenum invenimus. Ille enim Chrysippum redarguens : « In quibusdam, inquit, Epicuro et Zenoni magis quam suis decretis consentanea scribit : mœstitiam enim definiens, demissionem esse ait ob id, quod videatur

1. D. Laert., X, *passim*, *Epist. ad. Herod.*

esse fugiendum; voluptatem vero elationem ob id, quod videatur esse amplectendum. Demissiones quippe et elationes, contractiones et effusiones (nam istarum quoque aliquando commeminit) affectiones sunt facultatis irrationalis, quæ opiniones sequuntur. Talem vero esse passionum essentiam non ipsius, sed Epicuri et Zenonis sententia est [1]. » — Constat igitur passionem nihil aliud esse quam commotionem jucundam molestamve, boni an mali opinione excitatam; voluptatemque in usu boni, molestiam in mali possessione esse. Quoniam vero voluptas et dolor quasi nova criteria adhibentur, videndum est eamdemne fidem quam sensus et anticipatio mereantur.

Quod ad speculationem attinet, hæc criteria profecto minine prodesse queunt, nisi quis forte præmiserit dolore et voluptatis homines impelli ut doloris et voluptatis causas diligentius insequantur; quod ad moralem autem attinet, plurimum adjuvant. Sensus enim et anticipationis proprium et peculiare est scientiæ amantibus viam ostendere; passionis autem, quid sit agendum fugiendumve requirentibus. Illi speculationi præsunt; hæc moribus et vitæ. Nec ea, magni momenti, distinctio alios fugit philosophos antiquos, quod ex S. Empirici testimonio patet : « τὸ κριτήριον, ait, antiquorum sententias referens, λέγεται πρῶτον μὲν διχῶς· κατ' ἕνα μὲν τρόπον, ᾧ προσέχοντες, τὰ μὲν ποιοῦμεν, τὰ δὲ οὐδαμῶς· καθ' ἕτερον δὲ, ᾧ προσέχοντες, τὰ μὲν ὑπάρχειν φαμὲν, τὰ δὲ μὴ ὑπάρχειν· καὶ ταυτὶ μὲν ἀληθῆ καθεστᾶναι, ταυτὶ δὲ ψευδῆ [2]. » Sejungebant eodem modo stoici τὰ κριτήρια λογικὰ ab eo criterio ᾧ προσέχοντες βιοῦμεν [3].

1. Galen., *de Dogm.*, 4. — Cf. Gassend., *Synt. phil.*, t. II, p. 475.
2. Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 29, et *Hyp.*, I, 21.
3. *Ibid.*, *Hyp.*, II, 16.

Atqui censet Epicurus tum voluptatem esse, sua natura, aliquid bonum; tum dolorem contra quidpiam suapte natura malum; ex quo is primus præcipuusque, totius moralis fundamentum, canon inducitur : voluptatem per se esse expetendam, fugiendumque dolorem; quod altera quidem sit primum congenitumque bonum, alter vero primum summumque malum. Voluptatem esse summum bonum, aptum accommodatumque naturæ ex eo, in primis, intelligi potest quod sola est, ob quam cetera expetamus : quis enim seu scientiam, seu virtutem etiam expetat, quin bono aliquo, scilicet voluptate, frui contendat? — Nemo præterea non animadvertit « omne animal simul atque natum sit, voluptatem appetere, eaque gaudere ut summo bono; dolorem aspernari ut summum malum, et, quantum possit, a se repellere; idque facere nondum depravatum, ipsa natura incorrupte atque integre judicante[1]. » Quid autem plura? — Nulla est ratione et disputatione opus ad ostendendum quam ob rem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit; satis est scilicet hoc sentire : « satis est corporeum esse, sensumque habere, ait expressius Epicurus, ut voluptas bonum videatur : αἴσθησιν δεῖ ἔχειν καὶ σάρκινον εἶναι, καὶ φανεῖται ἡδονὴ ἀγαθὸν [2]. » Ad intellectualem igitur sensionis et prænotionis evidentiam, evidentiam moralem passionis, ut ita dicam, Epicurus addidit.

Verum cum in rebus agendis ille canon sit adstrictior quam ut nos tute regere possit, ex eo canones varios ad affectum passionemve spectantes deduxit Epicurus. Etsi enim omnis voluptas per se bonum, ea quæ voluptates pariunt ejusmodi esse possunt, ut multo ampliores voluptatibus dolores

1. Cic., *de Finib.*, I, IX, 30. — Cf. D. Laert., X, 37; S. Empir., *Hyp.*, III, p. 193.
2. Plutarc., *adv. Colot.*, 27.

inducant; ea autem quæ dolores, ejusmodi ut inducant ampliores aliquando doloribus istis voluptates; non igitur indiscrete omnia jucunda sunt amplectenda, omniaque molesta fugienda; inde hæc sapientiæ præcepta quæ Gassendus paucis inclusit :

« Ea voluptas quæ nullam habet annexam molestiam, amplectenda est;

« Ea molestia, quæ nullam habet voluptatem annexam, fugienda;

« Ea voluptas, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem molestiam parit, fugienda;

« Ea molestia, quæ aut majorem avertit molestiam, aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda [1]. »

His canonibus munitus et instructus, nos Epicurus suadet ut corporis voluptatibus voluptates animi anteponamus et, cum cupiditates quibus alligamur et subjicimur variæ sint et inæqualis pretii, naturales ac necessarias sequamur; naturales et non necessarias gubernemus; neque naturales, neque necessarias eradicemus. Quod ad virtutem attinet, illa eo diligentius colenda est quo nos citius securiusque ad felicitatem ducit.

Constat igitur varios canones præceptaque varia quæ nos docet Epicurus, quæque ad scrupulosas quas in vita difficultates invenimus, accommodare conatur, e primo criterio fluxisse. Qualiacumque sunt enim, voluptas semper summum bonum habetur, dolorque summum malum; ita ut ii sint fines ad quos referantur quidem omnia alia, dum ipsi alio nusquam referuntur.

Hæc tamen ut planius intelligamus, præmittendum est

1. Gassend., *op. cit.*, t. III, p. 9. — Cf. D. Laert., 128, 129 et sq. Τὴν ἡδονὴν ἀρχὴν καὶ τέλος λέγομεν εἶναι τοῦ μακαρίως ζῆν, κ. τ. λ.

Epicurum προλήψεις τῶν παθῶν admisisse, ut προλήψεις τῶν αἰσθήσεων admiserat. Experientia enim instructi quid actiones, quidque verba valeant didicimus, ita ut utrum ea voluptatem an dolorem ulterius sint paritura quam primum providere possimus. Omnia prorsus quæ ad speculationem attinent judicia, e sensibus originem et criterium trahunt; omnia autem quæ ad mores et vitam, e passione, scilicet e voluptate et dolore, summi boni summique mali criteriis.

CAPUT VII

DE PHANTASTICIS MENTIS INTUITIBUS

Cum jam ostensum fuerit quid de sensu, anticipatione et affectu censuerit Epicurus, superest ut de quarto criterio, scilicet, phantastico mentis intuitu, aliquid subjiciamus, quæramusque unde oriatur quodque munus impleat.

Porro nobis antiqua philosophorum testimonia tantum exquirentibus, perspicuum esse videtur protinus hoc criterium non ab Epicuro, sed ab ejus discipulis induci. Ad Epicurum enim tria sola de quibus locuti sumus criteria, refert Laertius, ad Epicureos autem quartum de quo cum Sext. Empiricus, tum Cicero silent [1]. Non mirum est igitur Gassendum nec non plerosque, temporibus nostris, historicos, in eadem fuisse sententia.

Attamen, quanticunque sunt hæc testimonia, testimoniis Epicuri contraria esse videntur. In Epistola enim ad Herodotum, quotiescunque de variis animi cogitationibus loquitur Epicurus, statim ἡ φανταστικὴ ἐπιβολὴ τῆς διανοίας inducitur [2], quin etiam sicut fons proprius notionum, alienusque

1. Vid. sup., c. II, p. 14.
2. Εἴ τιν' ἐκβαλεῖς ἁπλῶς αἴσθησιν καὶ μὴ διαιρήσεις, τὸ δοξαζόμενον κατὰ τὸ προσμένον καὶ τὸ παρὸν ἤδη κατὰ τὴν αἴσθησιν καὶ τὰ πάθη καὶ πᾶσαν

ab omnibus aliis habetur; ex quo sane conjici potest eam forsitan ab Epicureis illustratam fuisse ab Epicuro autem fuisse prænotatam.

Huc addere licet Epicurum in Epistolis qualis sit ille phantasticus mentis intuitus, quidque valeat ostendisse. Etenim, animadvertendum est, in primis, hac voce ἐπιβολῆς, quam non semel cum apud D. Laertium, tum apud Sext. Empiricum invenimus, mentis actionem universe designari qua res comprehendimus, earumque repræsentationem, id est phantasiam retinemus; ex quo fit appellatio ἐπιβολὴ φανταστικὴ quæ, pro ut res postulat, seu ἐπιβολὴ φανταστικὴ τῶν αἰσθήσεων evadit, seu ἐπιβολὴ φανταστικὴ τῆς διανοίας : de una supra diximus, de altera nunc superest ut agamus, studiis præteritis instructi.

Atqui hæc est, ut vidimus, Epicuri sententia, nempe cum simulacra rerumve imagines, quæ sint magnitudine, figura, positione, motuque certo donata, extrinsecus avolare; tum ab eis quæ mentem movere queant, omnem φανταστικὴν ἐπιβολήν effici. Simulacrorum autem altera, ea sunt ut non animum, sed sensorium primo percellant, ita ut sensio aut phantasia rerumve perceptio duplici causa et, ut ita dicam, duplici conatu cum sensorii, tum mentis efficiatur, quæ propter id ipsum αἰσθήσεων φανταστικὴ ἐπιβολή dici potest; altera vero adeo sunt tenuia et mobilia ut sensorium movere nequeant et mente tantum aut διανοίᾳ directe percipiantur : hæc illa sunt quæ, verbi gratia, in somniis percipimus, seu propriam speciem rerum ipsa servaverunt, seu, inter se pro-

φανταστικὴν ἐπιβολὴν τῆς διανοίας, συνταραζεις καὶ τὰς λοιπὰς αἰσθήσεις τῇ ματαίᾳ δόξῃ, ὥστε τὸ κριτήριον ἅπαν ἐκβαλεῖς. » D. Laert., X, 34, 38.

Ὁμοιότης τῶν φανταμῶν οἷον ἢ ἐν εἰκόνι λαμβανομένων, ἢ καθ' ὕπνους γινομένων ἢ κατ' ἄλλας τινας ἐπιβολὰς τῆς διανοίας ἢ τῶν λοιπῶν κριτηρίων κ. τ. λ. *Ibid.*, 51. — Cf. *ibid.*, 50, 62.

prio motu mixta, varias formas sponte induerunt; inde spectra vanæque imagines quæ dormientes dementesve terrent quasi sint rebus ipsis congruentia; inde præsertim Deorum imagines quas in omnium animis impressas invenimus. Nec mirum est quod talia simulacra potius nocte quam interdiu, potiusque irritabili quam sanæ menti apparent, cum modo dormientis sensoria, nec vero animus ipse, rerum externarum impulsionibus obstructa videntur, modo hominis mens irritabilis facilius vel minimis impulsionibus movetur.

Omnis igitur phantasia, sive Chimeræ, sive Deorum, a causa præsenti animumque moventi pendet, itaque cum veram habeamus sensionem, veri quoque habendi sunt phantastici mentis intuitus. Error enim non e phantasia, sed e judicio et ratiocinatione quibus phantasiæ deformari possunt, semper oritur.

Ex his præmissis, omnis Epicurea de existentia naturaque Deorum sententia ducitur.

Cum nobis Deorum imaginem in animo fingere possimus, necesse est, in primis, extrinsecus simulacrum esse congruens; attamen, cum sint quoque Chimeræ prætereaque innumerabilium spectrorum imagines atque simulacra quæ rebus sane non congruant, quærendum est porro num Deorum simulacra e Diis vere existentibus procedant. Hanc difficultatem enodare videtur, dum illa simulacra animadvertit Epicurus, non aliquorum tantummodo, sed omnium animos percellere : « Cum enim, ait Velleius, Epicuri sententiam referens, non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio; intelligi necesse est esse Deos; quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones, habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse

est [1]. » Hic igitur, ut supra [2], e phantasiarum constantia et universalitate, eas, non modo cum simulacris, sed etiam cum rebus ipsis externis congruere inferimus. — Iisdem rationibus, qualis sit Deorum natura, qualisque species perspicere licet. Ostensum enim fuit nil nisi corpus effluxiones emittere, animumque corporeum tangere posse; Deos ideo necesse est esse corporeos, cum eorum sint simulacra, et formam humanam habere, cum eos semper tali forma figuremus. « A natura, adjicit Velleius, habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam, nisi humanam Deorum, quæ enim ulla alia occurrit unquam, aut vigilanti cuiquam, aut dormienti? [3] » Quod argumentum ab alio ex ratiocinatione excerpto ita confirmat : « Sed ne omnia revocentur ad primas notiones, ratio hoc idem ipsa declarat. Nam cum præstantissimam naturam, vel quia beata est, vel quia sempiterna, convenire videatur eamdem esse pulcherrimam; quæ compositio membrorum, quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ species humana potest esse pulchrior? [4] »

Ergo non dubium est quin ἡ ἐπιβολὴ φανταστικὴ τῆς διανοίας sit intellectualis repræsentatio, imo etiam quoddam veritatis criterium, αἰσθήσεως, seu phantasias consimile.

Peractum ideo Epicuri Epicureorumque opus habemus de omnibus veritatis criteriis, quoniam alia, scilicet sensus et anticipatio, ad solam speculationem; alia, sive passiones aut affectus, ad solam moralem; alia denique, id est phantastici

1. Cic., *de Natur. Deor.*, I, 17.
2. Vid. sup., cap. III, p. 25, et IV, p. 35.
3. Cicer., *de Natur. Deor.*, I, 17.
4. « Επίκουρος δὲ ἐκ τῶν κατὰ τοὺς ὕπνους φαντασιῶν οἴεται τοὺς ἀνθρώπους ἔννοιαν ἐσπακέναι θεῶν· μεγάλων γὰρ εἰδώλων, φησί, καὶ ἀνθρωπομόρφων κατὰ τοὺς ὕπνους πρόσπιπτόντων, ὑπέβαλον καὶ ταῖς ἀληθείαις ὑπάρχειν τινὰς τοιούτους θεοὺς ἀνθρωπομόρφους. » Sext. Emp., *adv. Phys.*, IX, 25. — Cf. Cicer., *de Natur. Deor.*, I, 18.

mentis intuitus, ad speculationem simul atque ad moralem, id est ad cognitionem Deorum, pertinere comperimus.

Quam ob rem, ita concludendo, a plerisque Epicureæ doctrinæ interpretibus dissentiamus, nunc breviter in promptu est explanare. Isti enim tum ad impressionem sensibilem, tum ad anticipationem, tum ad imaginationem, phantasticos mentis intuitus referre conati sunt. Primæ opinioni assentire videtur Zeller qui Epicureos putat τῇ φανταστικῇ ἐπιβολῇ « den sinnlichen Eindruck [1] », semper designasse; docuimus autem nonnullas phantasias, vel sensoriis non cooperantibus, aliquando fingi posse. Non minus ab Epicuro discedunt quique, veluti Steinhart et Munro, phantasticos mentis intuitus ab anticipatione, imaginationisve conceptionibus non differre contendunt; hæ enim, secundum incidentiam, aut proportionem, aut similitudinem, aut compositionem, cooperante ratiocinatione, ut supra diximus, peraguntur; illi autem simulacrorum impressione, sine ratiocinationis auxilio, ut sensio ipsa, efficiuntur. — Propius ad veritatem accedunt Ritter et Presler : « φανταστικαὶ, aiunt, quæ nostro loco dicuntur ἐπιβολαὶ τῆς διανοίας et ipsæ προλήψεις esse videntur, neque diversæ ab imaginationibus per insaniam somniumve perceptis [2] »; potius autem M. Tullio qui Deorum notionem, πρόληψιν habet [3], quam ipsi Epicuro confidentes, nec naturam, nec mensuram justam istius criterii aspexerunt, quas planius Ueberweg [4] hac definitione ostendisse

1. *Hist. phil.*, III, I, 362 et 390.
2. *Hist. phil.*, edit. 5, p. 349.
3. « Quæ est enim gens aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est anteceptam animo rei quamdam informationem, sine qua nec intelligi quicquam, nec quæri nec disputari potest. » *De Natur. Deor.*, I, 17. — Deorum igitur notionem, πρόληψιν habet Tullius; itaque hanc sententiam plerique ad Epicurum retulerunt.
4. Ueberweg, *Geschichte d. Phil.*, I, 205.

videtur : sunt « αἵ φανταστικαὶ ἐπιβολαὶ τῆς διανοίας, die Intuitiven Auffassungen des Verstandes. » — Addamus denique fere ad eamdem conclusionem pervenire Th. Tohte[1] qui primus enucleate de quarto Epicureorum criterio scripsit, et nunc verba Epicuri colligendo, nunc varia testimonia discutiendo, nisi ad verum, ad probabile saltem accessit.

1. Th. Tohte, *op. cit.*, p. 20 et sq.

CAPUT VIII

DE RATIOCINATIONE AC METHODO

Præterea, ut perfectum fiat hoc opus, nobis quærendum est quid Epicurus senserit de ratiocinatione ac demonstratione, quarum partes Aristoteles, et Megarici, Stoicique philosophi, tam subtiliter dispexerunt; qualem insuper putaverit esse methodum, qua certissime ducamur ad veritatem : multo vero difficillima est hæc nostri operis pars ultima. Etenim, si Plutarcho, Tullio, plerisque auctoribus credimus qui de philosophiæ historia scripserunt, videtur nobis Epicurus ratiocinationem ac demonstrationem aut parvi aut nihili fecisse; ad hoc, inter omnes libros Epicuri, quos D. Laertius commemorat, nullus est qui ad hanc philosophiæ partem recta tendere videatur; indicia denique edita ex Epicuri scriptis quæ nobis idem Diogenes tradidit et ex annotationibus eorum qui de illo scripserunt, neque manifesta, neque conspicua esse fatendum est : attamen et numerosa et conspicua sunt illatenus ut, adjuvantibus his testimoniis, nos ultimum illud Epicureæ Canonicæ caput restituere conari liceat. — Siquidem ratiocinationi triplex via patet, qua itur a singularibus ad universa, a singularibus ad

singularia, ab universis denique ad singularia, unamquamque viam adeamus, ut Epicuri doctrinam aggrediamur explicandam quæ, reipsa, mea sententia, et inductionis, et hypotheseos, et demonstrationis, et sermonis leges amplectitur.

I. — Ex luculentis Th. Gomperz libellis[1] constat philosophos Epicureos maturissime ratiocinationi quæ nos a singularibus ad universa ducit, operam dedisse. Philodemum enim Epicureum, in libro περὶ σημείων καὶ σημειώσεων, primum hanc disserendi materiem tractavisse nos recte Gomperz admonet[2]; utrum vero suas et peculiares ideas, doctrinamque explanet ac defendat Philodemus, an potius memoria majorum traditas exponat, incertum est; quanquam hæc opinio et multo verisimilior et ipsi Epicuri doctrinæ congruentior videtur. Quæ enim est de anticipatione doctrina, nisi doctrina de Inductione, summatim, circumscripta? Qui canones, quæ norma Rectæ opinionis, nisi ipsa norma, quam mentis magistram esse oportet ut inde certa indubitataque colligere possit?

Quod ut compertum habeamus, recordari satis est quid sit discriminis, auctore ipso Epicuro, inter propositiones, quarum duo genera sunt, « alterum circa eas res quæ uno tantum modo se habent; alterum circa eas, quæ pluribus modis, se habere possunt aut fieri[3] ». Prioris generis sunt propositiones certæ quas circa doctrinam de moribus proferimus, cujus modi sunt : *Voluptas per se expetenda est, fugiendus dolor; voluptas est finis bonorum* et cæteræ; aut quas circa physicas quæstiones explicandas, defendimus,

1. Th. Gomperz, *Philodem über induktionsschlüsse, op. cit.*
2. « Es ist der erste Entwurf einer inductiven Logik. » *Ibid.*, p. xi.
3. Diog. Laert., X, 85 et 86.

veluti : *Universum est corpus et Inane; Rerum principia sunt insectilia*, ac cæteræ omnes quæcunque uno tantum modo cum rebus apparentibus congruunt [1]. — Qui fit igitur ut propositiones illæ generales, certæ, indubitatæque et nobis afferentes πίστιν βεβαίαν habeantur, nisi quod primo propositiones quæ circa morum doctrinam proferuntur, quæque haud aliæ sunt quam illæ προλήψεις τῶν πάθων de quibus antea dictum est, eæ sunt quibus « suffragatur et non refragatur sensus evidentia » ? Secundo quod propositiones universæ quæ physicas quæstiones spectant, plurimis experimentis exortæ, eadem ac priores censura probatæ, eadem trutina pensatæ sunt [2]. Hic autem, nullum axioma rationale, quo duce, a singulis ad universa transeamus; at nobis considerantibus quam constans, quam æqualis ordo rerum, quam confirmata usu perenni phænomena sint, inde tota fides. Res nempe mentem humanam fingunt; legesque, quibus sua sponte regi illa videtur, procreat consuetudo quædam e rerum usu et quasi contagio nata. Hæc est adumbrata et rudis effigies illius doctrinæ quam postea tanta ubertate et tanto splendore ad expletam perfectamque formam perduxit St. Mill, qui e consuetudine atque idearum convenientia nasci putat quidquid e singulis ad universa colligimus [3].

II. — De propositionibus universis, quæ certæ sunt, satis dictum; præterea vero Epicurus propositiones universas notat, quæ tantum probabiles sunt : hisque propositionibus, imperfecta inductione natis impensam dat operam in Epistola ad Pythoclem, de cœlestibus rebus scripta. Itaque, ut ejusdem

1. Cf. Gassend., *Syntag. phil.*, t. V, p. 84.
2. Vid. sup., cap. v et vi, p.
3. Cf. Logique de St. Mill, I, p. 324 et sq.

ad Herodotum epistola Inductionis dialecticam, ut opinor, continet, ita hæc, quam supra diximus, hypotheseos dialecticam amplecti videtur. Hic iterum animadvertendum est Epicurum futuris philosophis novam viam patefecisse. Nemo enim antea tam studiose et fortiter notaverat quantum sit discrimen legis probatæ et hypotheseos ancipitis; nemo præsertim nos tam prudenter admonuerat quanam ratione effingantur hypotheses, et qui fidei modus unicuique earum sit adhibendus. Cæterum quanta sit ejus præceptorum virtus, si hæc collegeris, facile perspicies.

Præceptorum, canonumve hoc primum est : Veritas propter se quærenda est, omni cura, omni opinione aliena omissa : « οὐ γὰρ, ait Epicurus, κατὰ ἀξιώματα κενὰ καὶ νομοθεσίας φυσιολογητέον, ἀλλ' ὡς τὰ φαινόμενα ἐκκαλεῖται· οὐ γὰρ ἰδιολογίας καὶ κενῆς δόξης ὁ βίος ἡμῶν ἔχει χρείαν, ἀλλὰ τοῦ ἀθορύβως ἡμᾶς ζῆν [1] » ; itaque nos suadet ut « serviles astrologorum artes spernamus, τὰς ἀνδραποδώδεις τῶν ἀστρολόγων τεχνητείας [2]. »

Secundum præceptum e primo manat : cum enim omnia naturalibus causis exoriantur, submovenda est argumentatio quæ res, numine interposito Deorum, explanat : « ἡ θεία φύσις, ait Epicurus, πρὸς ταῦτα μηδαμῇ προσαγέσθω [3] » ; nisi ita ages, « ἅπασα ἡ περὶ τῶν μετεώρων αἰτιολογία ματαία ἔσται [4] ». — Hanc, ante omnia, menti *purgationem* (Platonis verbis utilicet) injungit, siquidem omni præceptione vacuam esse mentem oportet ad eruendam veritatem. Eadem postea Gassendi sententia; ille enim, initio præclari sui operis acriter

1. Diog. Laert., X, 25.
2. *Ibid.*, X, 94.
3. *Ibid.*, 97.
4. *Ibid.*, 97.

corripit et falsas opiniones et inanes astrologorum ineptias [1].

Tertio præcepto, nos monet Epicurus ne velimus eamdem regulam rebus diversis adhibere. Cœlestibus enim rebus, ut antea animadvertimus, nulla similitudo est cum rebus quæ ad mores aut ad naturam spectant; nam hac « pluribus modis se res habere possunt, aut fieri; illac, uno modo ». Itaque de motibus astrorum ac varia specie, quid aliud quam hypotheses proferre possumus? Insanire videtur qui de his quæstionibus certam et absolutam demonstrationem quærit; felix qui potuit probabilem tantum attingere. Nempe prioribus rerum cœlestium causis alias innectere causas, quid vetat, quæ pariter ac priores cœlestia explicent? Hoc præceptum Epicurus ad satietatem ingeminans, vanitatis arguit eos qui « uno tantum modo cœlestia fieri posse » putant [2]. Tam pertinacem curam in Epicuri scriptis animadvertens Seneca, expositis philosophorum de motu terrarum opinionibus, addit : « omnes istas posse esse causas Epicurus ait, pluresque alias tentat, et alios, qui aliquid unum ex istis esse affirmaverunt, corripit; cum sit arduum de iis, quæ conjectura sequenda sunt, aliquid certe promittere [3]. »

Quamvis non neget Epicurus diversas de eadem re edere opiniones licere, adeo non eamdem auctoritatem omnibus opinionibus tribuit, ut certa præcepta nobis tradat, quibus ab errore deterreamur.

Primo jussit quidem nos attentius « singulorum visum observare atque in ea quæ illi conjuncta sint dividere; ἑκάστων

1. Cf. præsertim *Exerc. adv. Arist.;* Gassend., *Synth. phil.*, t. III, p. 97 et sq; et *Fluddanæ phil. examen, ibid.*, p. 211.

2. « Εἰς τὸ μὰταιον ἐκπεσοῦσι τῷ καθ' ἕνα τρόπον οἴεσθαι γίνεσθαι μόνον. » Diog. Laert., X, 97. — Cf. *idem*, 87, 88, 94, 95, 99 et 104.

3. Seneca, *Quæst. Nat.*, lib. VI, cap. xx.

τηρητέον καὶ ἐπὶ τὰ συναπτόμενα τούτῳ διαιρετέον [1].» Inde videre licet quid putandum sit de Tullio Epicurum arguente prætermisisse dividendi artem et partiendi [2]. Cæterum fortius etiam Tullii objectationem refellunt Epicuri opera : Cum enim de moribus agitur, hominum impetus et voluptates subtiliter in singulares globos dividit Epicurus : claudicat divisio, clamant obtrectatores! — Nec nego, at clara est et propositæ ab eo normæ aptissime congruens. — Cum de rebus physicis, eadem arte, eademque cura et notionum et rerum originem aggreditur. Nullum, fateor quidem, codicem, nullam dissertationem de divisione edidit : at, quod melius est, scribendo, quanta sit ejus utilitas professus est, quis usus demonstravit [3].

Sequitur secunda hypotheseos regula : Ne quis de rebus cœlestibus judicet, nisi ex rebus quæ sensus afficiunt, quippe quæ nobis certa et indubita sint : « σημεῖα δέ τινα τῶν ἐν τοῖς μετεώροις συντελουμένων φέρειν δεῖ τῶν παρ' ἡμῖν τινα φαινομένων ἃ θεωρεῖται ἢ ὑπάρχει, ταῦτα γὰρ οὐκ ἐνδέχεται πλεοναχῶς γενέσθαι [4]. » « Omnis enim, adjicit Epicurus, in hanc partem instantia facile solvetur [5], omnisque fabula aberit si quis rite ea quæ apparent sequens, de iis quæ sunt occultiora ad eam normam judicaverit [6]. » Magni vero refert meminisse canonum quos antea explanavit, quibus nostra reguntur judicia et quorum quanta vis sit demonstrat, dum ipse iisdem utitur [7]. —

1. Diog. Laert., X, 88. Eodem in præcepto suam methodum niti voluit Cartesius dicens : « Unamquamque difficultatem dividendam esse in tot partes, quot necessariæ sint ut quam clarissime difficultas solvatur. »
2. Cic., *de Finib.*, I, VII, 22.
3. Cf. Diog., *Epist. ad Herod.* et *ad Pyth.*
4. Diog. Laert., X, 87.
5. *Ibid.*, X, 91.
6. *Ibid.*, 104.
7. *Ibid.*, 92.

Denique, ex Epicuri consiliis ad Pythoclem, tertiam, ut opinor, deducere licet regulam, tertiumve canonem, quo superiores absolvuntur : scilicet ne unquam a principiis antea positis deflectamus, sed fortissime repellamus quamlibet explanationem legibus certis et demonstratis obluctantem : « Si quispiam enim rebus apparentibus obluctabitur, is poterit nunquam germanæ tranquillitatis particeps fieri [1]. »

In summa, in potestate hypotheseos est, quidquid scitum est nec absolute demonstratum ; experientia autem sola nos docet artem probabilia discernendi.

III. — Antecedentes explanationes nos adjuvabunt ad percipiendum quid Epicurus de demonstratione senserit. Ejus autem obtrectatorum opinionem amplectenti, videtur Epicurus non solum non curavisse hanc rotiocinandi partem, sed etiam plane neglexisse et ejus naturam propriam ignorasse : accusant enim eum quod nescierit syllogismum e tribus propositionibus constare [2] ; accusant insuper quod tam obtusi fuerit ingenii ut non perspexerit ex duabus propositionibus disjunctis [3], cum altera vera sit, alteram necessario falsam esse ; quæ cum ita sint, quomodo subtiles Aristotelis formulas curasset et demonstrationis structuram descripsisset?

Utrumque crimen, ante omnia, considerandum est. In priore commorari supervacaneum est. Ecce enim syllogismus ille cujus causa tam acriter increpat Plutarchus Epicurum : « Mors ad nos nihil pertinet, quod enim dissolutum est, id est sine sensu ; quod autem sine sensu est, id nihil omnino

1. Ἐπὶ πάντων γὰρ τῶν μετεώρων τὴν τοιαύτην ἰχνέυειν οὐ προσθετέον· ἣν γάρ τισι μαχομένοις τοῖς ἐναργήμασιν οὐδέποτε δυνήσεται ἀταραξίας γνησίου μεταλαβεῖν. D. Laert., X, 96.
2. Vid. sup., cap. I; Aul. Gel., lib. II, cap. VIII.
3. Cic., *de Natur. Deor.*, lib. I, cap. XXV.

ad nos pertinet. » — Hanc enim propositionem, ait Plutarchus, Epicurus omisit : « Mors est separatio animi et corporis. » Ad ea vero quæ respondit A. Gellius nihil adjiciendum est : « Epicurus, ait, cujus modi homo est non inscientia videtur partem illam syllogismi prætermisisse. Neque id ei negotium fuit syllogismum, tanquam in scholis philosophorum, cum numeris omnibus et cum suis finibus dicere. Et profecto, quia separatio animi et corporis in morte evidens est, non est ratus necessariam esse ejus admonitionem, quod omnibus prorsus erat obvium : sicuti etiam quod conclusionem syllogismi non in fine posuit, sed in principio : nam id quoque non imperite factum quis non videt? Apud Platonem quoque multis in locis reperias syllogismos repudiatos, conversoque ordine isto, qui in docendo traditur, cum elegantia quadam reprehensionis contentione positos esse [1]. »

Epicurum non ignarum fuisse syllogismi satis demonstrant et modus quo probat mundum esse infinitum et argumenta quæ sæpius ab eo mutuatus est Cicero [2]. De hac autem objectione satis.

Gravius vero alterum crimen, quod iterum atque iterum pluribus verbis amplificavit Tullius, præsertim in libellis *de Natura Deorum* et *de Fato* inscriptis : « Necesse est in rebus contrariis duabus (contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat) ex his igitur necesse est, invito Epicuro, alterum verum esse, alterum falsum ; ut : « Sauciabitur Philocteta », omnibus ante sæculis verum fuit ; ut : « non sauciabitur », falsum. Nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enuntiationes nec veras, nec falsas esse dicunt ; aut, cum id pudet, illud tamen dicunt,

1. Aul. Gel., II, cap. VIII.
2. *De Divin.*, lib. II, *passim*.

quod est impudentius, *veras esse ex contrariis disjunctiones, sed quæ in his enuntiata essent, eorum neutrum esse verum.* O admirabilem licentiam, et miserabilem inscientiam disserendi [1]! »

Epicureorum responsio, quam superbissime Tullius despicit, haudquaquam ita contemnenda mihi videtur. Huic potius inest magna vis logica et fidelis principiorum antea positorum constantia. Quid reipsa vult Epicurus, nisi ut veritatem Existentiæ e veritate judicii et Enunciationis studiose secernat, et rationem *essendi* rationemque *cognoscendi* distinguat?

Consideremus enim propositionem : « Sauciabitur Philocteta aut non sauciabitur »; duas contrarias inter se continet affirmationes, quarum si alteri alteram opponimus, nonne patet, logica judice, veram esse propositionem disjunctivam quæ eas continet? Quod revera admittit Epicurus, Tullii ipsius consensu : « Illud tamen dicunt, veras esse ex contrariis disjunctiones »; aut, aliis verbis : « sauciabitur aut non sauciabitur Philocteta », verum dicebant. Ita ratiocinans, Epicurus agnoscit quantum valeat *disjunctionis principium*, ex usu experientiaque natum.

Addit Epicurus, consideranti separatim unam aut alteram prospositionem, neutram esse veram; nec tamen : *sauciabitur*, verum; nec *non sauciabitur*, falsum. — Nihil rectius; nilhil congruentius principiis quæ in physica imposuit et quibus ejusdem et logica et de moribus doctrina totæ illuminantur. Negat enim « fato fieri quæcunque fiant », nam atomi, declinatione, « fati necessitatem vitant [2] ». — Si hoc autem concesserit « omne axioma aut verum esse aut

1. Cicer., *de Fato*, 16; *de Natur. Deor.*, I, 25.
2. Cic., *de Fato*, X et XI.

falsum », ita et necessitatem et fatum confirmari putaverit.

Irridet Tullius, et hoc inventum seriæ philosophiæ indignum habet : aliud est vero ridere, aliud probare. Nostra ætate, rectius explanata est Græci philosophi sententia; didicimus enim e clarissimo Epicuri interprete qui magnum sui desiderium reliquit [1], hunc primum naturam rerum a terrore fati vindicasse qui atomis haud secus atque animis voluntatem usurpaverit, iisdemque potestatem dederit a priore via deflectendi et paululum declinandi.

His objectionibus amotis, videamus quid de demonstratione senserit.

Animadvertendum est primum Epicureos, non secus atque omnes qui *dogmatici* vocantur, sæpe cum Scepticis, etiam num qua sit demonstratio dubitantibus, certavisse, ac tali nonnunquam argumento usos fuisse : « Aut intelligitis quid sit demonstratio, aut non intelligitis : et si quidem intelligitis et ejus habetis notionem, est demonstratio; sin autem non intelligitis, quomodo quæritis quod ne a vobis quidem omnino intelligitur? [2] » De hoc argumento, quam parum valeret, S. Empiricus disseruit et disserere licet [3]; ex eodem tamen facile deprehenditur, quod volumus, nempe Ciceronem de Epicureis falso dixisse, cum eos quodlibet demonstrationis genus *a priori* rejecisse affirmat.

Hanc autem demonstrationem, qualem esse sibi finxerint, nunc videamus. — Locum quemdam apud Sext. Empiricum habemus, in quo exemplum, quod affert, cum Epicureis et

1. Guyau, *la Morale d'Épicure, op. cit.*
2. Ἤτοι νοεῖτε τί ἐστιν ἡ ἀπόδειξις, ἢ οὐ νοεῖτε· καὶ εἰ μὲν νοεῖτε, καὶ ἔχετε ἔννοιαν αὐτῆς, ἔστιν ἀπόδειξις· εἰ δὲ οὐ νοεῖτε, πῶς ζητεῖτε τὸ μηδ' ἀρχὴν νοούμενον υμῖν; (Sext. Emp., *ad. Log.*, VIII, 337.)
3. Sext. Emp., *ibid.*, 338 et sq.

potius cum Epicuro rem esse sine ulla dubitatione demonstrat. Ex hoc autem loco videtur demonstratio ab Epicureis sic esse definita : « Demonstratio est argumentatio quæ per sumptiones concessas firma collectione aperit obscuram illationem ; ut hæc : *Si est motus est Inane ; atqui est motus ; est ergo Inane* [1]. » Exemplo, ut definitionem ipsam illustremus, licet utamur. An inane, cujus anticipatio per solam corporis negationem videtur fieri, vere sit, hoc loco quæritur [2]; quod esse ut probetur, illa propositio prima adhibetur : *Si est motus, est Inane*, de quo nihil est contradicendum ; etenim, « nisi esset Inane intermixtum rebus, nec inchoari quidem posset ullus motus, quoniam quantæcunque diversitatis forent corpora, ex quibus mundus componeretur, omnia ita forent compacta, ut una essent massa plane rigida prorsusque inflexibilis, tanquam nulla parte habente quo vel reclinari, vel propelli posset, occupatis puta quoquoversum locis omnibus ; sicque nihil esset, quod cedere locum in quem aliud succederet, posset [3]. » — Hoc posito, *motum esse* reliquum est ut probemus ; de quo sensus ipse omnem tollit dubitationem. Ex his igitur facile sequitur quod probandum est. — Eisdem fere verbis M. Tullius ipse, qualis apud Epicureos demonstratio fuerit, in libro qui de Divinatione inscribitur, ostendit : « Videsne Epicurum quem rudem dicere solent Stoici, quemadmodum quod in natura rerum *Omne* esse dicimus, id infinitum esse concluserit ? — Quod finitum est, habet extremum ; quis hæc non dederit ? — Quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus : Hoc quoque con-

1. Ἀπόδειξίς ἐστι λόγος δὲ ὁμολογουμένων λημμάτων κατά συναγωγὴν, ἐπιφορὰν ἐκκαλύπτων ἄδηλον· οἷον ὁ τοῖουτος, εἴ ἐστι κίνησις, ἔστι κενόν· ἀλλὰ μὲν ἐστι κίνησις, ἔστιν ἄρα κενόν. Sext. Emp., *adv. Log.*, VIII, 314.
2. Cf. D. Laert., X, *Epist. ad Herod.*, *passim.*
3. Gassend., *Comment.*, t. I, p. 83.

cedendum : at quod Omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus : ne hoc quidem negari potest [1]. » Omne igitur est infinitum. — Ex illis atque ex aliis exemplis, quæ apud Diog. Laertium [2] inveniuntur, manifesto videtur quod quærimus : apud Epicureos demonstratio est quæ, a rebus manifestis perfecta, de rei adhuc male cognitæ causa aut natura certiores nos faciat. Ex quo nihil mirum est quod sæpissime usurpatur : περὶ ἀδήλων ἀπὸ τῶν φαινομένων χρὴ σημειοῦσθαι [3].

Hic tamen non est obliviscendum, quales sint istæ, quibus in demonstratione utimur, propositiones : istæ omnes experientia præbentur, nec ullo alio ex fonte procedere possunt; scimus enim ex Epicuri sententia, nihil esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu, atque apud eumdem, quamlibet ratiocinationem ista, quam vocat πρόληψιν, quasi fundamento fulciri [4]. Illæ igitur propositiones cum propositionibus, ut ita dicam necessariis, ab Aristotele in demonstratione, quam ἐξ ἀναγκαίων συλλογισμόν esse affirmat, adhibitis [5], nullo modo conveniunt. Apud Epicurum, nullum est testimonium, nisi ab experientia, aut potius a sensu profectum; in sensu enim omnia vera ponuntur : « καθ' ἣν (αἴσθησιν) ἀναγκαῖον τὸ ἄδηλον τῷ λογισμῷ τεκμαίρεσθαι [6]. »

Hujus doctrinæ, in qua deductio nihil aliud est nisi quædam inductionis consequentia aut potius confirmatio, quanta fuerit fortuna et quantum apud nostrorum temporum experientiæ amatores philosophos creverit eadem, omnes sciunt. — De Demonstratione igitur Epicurus et clara et nova cogi-

1. Cic., *de Natur. Deor.*, II, 50.
2. D. Laert., X, 33; A. Gell., *loc. cit.*
3. D. Laert., X, 32, 38.
4. Vid. sup., cap. v.
5. Aristot., *Analy. Post.*, II.
6. D. Laert., X, 39.

taverat. Cur autem de hac demonstratione tam pauca, si cum prioris ævi philosophis conferas, tradiderit, bene intelligitur. Regulas enim, quibus utitur demonstratio, jam supra tractaverat [1], cum de signis, quibus res veras esse cognoscimus, loquebatur; adde quod ejusdem temporis philosophis, ratiocinationis justo amantioribus, contradicere certum in animo habebat; « non esse enim, ait, necessarium omnia exquisitis rationibus confirmare; tantum sàtis est admonere; interest enim inter argumentum conclusionemque rationis et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem; altera occulta quædam et quasi involuta aperiri; altera prompta et aperta judicari [2] ».

IV. — Canonicam apud Epicurum non modo ad speculationem sed etiam ad utilitatem spectare vidimus; nemo igitur est quin miraretur si de sermone locutus non fuisset; sermonis enim de origine et natura cum Physica disserat [3], Canonica, quo modo sermone sit utendum, ostendat necesse est.

Unum autem est, de quo Epicurus sæpe dixit et in quo cætera comprehenduntur, præceptum; in quodam enim loco, quem jam usurpavimus, talia commendat : « Primum, ait, o Herodote, res subjectas vocibus tenere diligenter oportet, ut habeamus, quo respicientes quæcunque sive opinamur, sive quærimus, sive ambigimus, dijudicare tuto possimus; neque tum illi, qui nobis aliquid demonstrant absque limite progrediantur; tum nos nihil aliud quam inanes voces excipiamus : necesse est enim primam notionem secundum unamquamque dispici vocem, nihilque probatione indigere,

1. Vid. sup., cap. II, *De veritatis criteriis ipsorumque canonibus*.
2. Cicer., *de Finib.*, 9, 30.
3. Cic., *de Fato,* I, 19-60; D. Laert., V, *loc. cit.*

siquidem habebimus quæsitum vel dubitatum vel opinatum ad quod referamus [1]. » Ex quo sequitur necesse esse eum qui de vocabulo quod adhibeat non plane intelligat, non aliter ac confuse ratiocinari. Idem Epicuri præceptum M. Tullius ipse probavit ; ita enim disserit : « Omnis autem, ait, in quærendo, quæ via quadam et ratione habetur, oratio præscribere primum debet, ut quibusdam in formulis ; *Ea res agatur*, ut inter quos disseritur, conveniat quid sit id, de quo disseratur. *Hoc positum in Phædro a Platone probavit Epicurus*, sensitque in omni disputatione id fieri oportere [2]. » Idem in Academicis disputationibus de eadem re plura tradit ; epicureæ enim doctrinæ defensor, de Stoicis et sophistis quædam σοφίσματα subtilia, non veritatis quærendæ gratia, sed gloriæ causa fingentibus cogitans, fere ita loquitur : Si quis te quæ sit *canis* natura interrogaverit, ne ante responderis quam te certiorem fecerit quid hoc vocabulo significet ; « tum vero nisi obtemperet et probet esse nugatorem, et ut cavillator dimittendus erit ». Nulla igitur dubitatio est quin Epicurus manifesto dixerit oportere exprimi quæ vis subjecta sit vocibus quibus utimur, si modo clare nec ambigue ratiocinari velimus.

Quæ cum ita sint, quomodo M. Tullius non semel, sed bis [3] Epicurum, veluti definitiones tollentem, insectari potuerit, non bene constat ; hoc tamen intelligitur, si tempus accusationis adspicias. Hoc enim loco, M. Tullius a Torquato impetrare conatur, ut quid sit voluptas, quam Epicurei summum esse bonum dicunt, definiat ; quod se facturum esse negat Torquatus et e verbis, quibus negat, doctrina

1. D. Laert., X, 37 et 38. (Huebneri et Gassendi interpretatio latina.)
2. Cic., *de Finib.*, II, 1 et 2.
3. Cic., *de Finib.*, I, 7 ; II, 2.

Epicureorum manifestius apparet : « Quis, quæso, inquit, est qui quid sit voluptas nesciat, aut qui, quo magis id intellegat, definitionem aliquam desideret? » Adde quod Epicurus ipse dicebat « ne argumentandum quidem esse de voluptate, quod sit positum ejus judicium in sensibus, ut commoneri nos satis est, nihil attineat doceri [1] ».

Epicurus igitur nullo modo omnes definitiones, non aliter quam omnes divisiones, tollit, sed quasdam tantum divisiones et definitiones, quas subtiliter nimium excogitatas sophistæ, voluptatis suæ causa, proferebant; putabat enim, nec immerito, animum divisionibus et definitionibus, si modice adhibeantur, non parum levari; eumdem autem eisdem, si immodice utamur, facillime frangi et corrumpi [2]. Illam, quam commendabat Epicurus, disserendi viam secuti sunt ejus discipuli, ac fere nunquam puerilia et subtilia sophistarum apud eos inveniuntur. « In ipsius enim schola nulla fuit, ut animadvertit Gassendus, excogitatio Crocodilorum, Cornutorum, Obvelatorum, aliorumque hujusmodi, quibus cæteri gloriabantur, et in quibus non pro nihilo habebant bonas artes deterere [3]. »

V. — Talis est Epicuri Canonica, aut saltem talem eam

1. Cicer., *de Finibus*, III, 1.

2. Epicurei existimarunt se posse vel indicando statuere hominis notionem, dicentes : Homo est, id quod est tali forma præditum animatumque : ἄνθρωπός ἐστι, τοιουτονὶ μόρφωμα μετ' ἐμψυχίας. Sext. Emp., *adv. Log.*, VII, 267. — Cf. Erotianum apud Usener, p. 189.

3. Gassend., *Synt. phil.*, I, p. 5 56.

Hæc omnis de sermone ac definitione doctrina plane confirmatur ab eo, quod Gomperz detegit, Epicuri fragmento : πᾶσα ἡ ἁμαρτία ἐστὶν τῶν ἀνθρώπων οὐδὲν ἕτερον ἔχουσα σχῆμα ἢ τὸ ἐπὶ τῶν προλήψεων γινόμενον καὶ τῶν φαινομένων δὶα τοὺς πολυτρόπους ἐθισμοὺς τῶν λέξεων... δεῖ ταῖς αὐταῖς αἱρέσεσι τῶν φωνῶν κατὰ τὴν διδασκαλίαν χρῆσθαι κ. τ. λ. Neue Bruchstücke Epikur's von Th. Gomperz. *Op. cit.*, p. 8.

fuisse fingere possumus ex auctorum nonnullis locis, paucis quidem nimium, qui supersunt.

Si nunc opus nostrum paucis verbis complecti volumus, dicendum est : — Epicurus nullo modo huic toti philosophiæ parti quæ Logica dicitur omnino adversatur, ut sæpe inimice dictum est, sed Stoicorum tantum et Sophistarum sui temporis captiose et subtiliter quærendi et disserendi rationem impugnat; — Idem omnia rerum judicia in experientia, animi viribus freta, esse posuit, nec sine conspicua quadam ratione confirmare conatus est; — Idem etiam primus ostendit quo modo sensus nobis testimonia quædam, ad rerum imagines tantum modo attinentia, sed nihil falsi admittentia, præbeant, dum opinionum judiciorumque altera vera, altera autem falsa esse possunt. Adde quod multa exempla, plurimis in locis, certosque canones notavit, quibus opiniones veræ a falsis distinguuntur, in qua re a nullo prioris ævi philosopho vincitur; — Idem dum quid sit πρόληψις exponit, nobis videtur de Inductione fere eadem, quæ nostri temporis philosophi quidam elaboraverunt, primus excogitasse; — Idem denique — et primus ante discipulos — docuit — sive hoc recte, sive non recte — aliud esse istam cognoscendæ veritatis rationem quæ φανταστικὴ ἐπιβολὴ τῆς διανοίας vocatur, aliud sensus, aliud anticipatio, aliudque affectus.

Si nunc ad ejusdem ratiocinandi rationem venimus, cujus historici, de philosophorum doctrinis scribentes, fere nullam fecerunt mentionem, Epicurum deprehendimus in hac parte nova quoque et egregia excogitasse; hac enim facile fulcitur nova quædam per hypothesim disserendi ratio; quin etiam in eadem parte, primus Epicurus deductionem, quo modo Inductioni vero jungatur, ostendit.

Quid sit ex his omnibus concludendum, quis est qui non

videat? — De Epicuri Canonica, non aliter quam de Ethica Seneca judicavit, dicendum est : « Male audit, infamis est, et immerito. »

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
Pridie Kal. febr. ann. MDCCCLXXXIX,
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi,
Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector,
Gréard.

TABULA

Coulommiers. — Typ. P. BRODARD et GALLOIS.

Coulommiers. — Imp. P. Brodard et Gallois.